DE CATECHISMO CHRISTIANO QVAESTIONES Methodicæ,

In quibus non solùm uera & Catholica Ecclesiæ sententia proponitur, sed & Argumentorum, quæ ab aduersarijs obijci solent, ueræ & succinctæ Solutiones traduntur, quibus doctrina Catechesios fusius explicatur.

Autore LVCA LOSSIO Luneburgensi.



FRANC. Apud Chr. Egen.

ELENCHVS CAPITVM HVIVS
Catechistici libelli.

Summula Catechismi cum Solutionibus Obiectionum 1 a
Decalogus, siue Decē præcepta 2 a 87 a 126 b
Symbolum Apostolicum 30 a 95 a 130 b
Oratio Dominica 47 a 102 b 135 b
Pœnitentia, Confeßio, & Absolutio 54 b 109 a 138 a
Sacramenta 60 a 114 a
Baptismus 66 a 115 a 139 b
Cœna Domini 69 b 118 a 140 b
Vocatio Christiana 73 a 120 a
De Cruce 74 b 121 b
De Bonis Operibus 76 b 123 a
Formulæ, Confeßionis Scholasticæ 82 a
Commendandi se Deo mane ibi. b Vesperi 83 a
Consecrandi mensam ibi. b
Gratiarum actionis 84 a 108 b
Orationes, pro cōsequenda docilitate &c. ibi. 108 a
Quæstiunculæ Methodicæ de Christiano Catechismo 85 b
Exegeses uerborum ac Phrasium quinque partium Catechismi 126 b
Sententiæ insigniores ex Euangelijs & Epistolis totius anni 142 b
Dialogus inter Deum, & Euam, eiusq; liberos 158 a.

Scholæ

SCHOLAE LVNAEBVRGENSIS PVERIS ET ADOlescentibus, pietatis studiosis, Lucas Lossius S. D.



TILITER ac piè quæri potest, Optimi pueri & adolescentes, quare Diabolus, cùm sit spiritus creatus initiò ad imaginem Dei, ornatus excellenti puritate & sanctitate, sicut alij angeli, tam horrendè à conditore Deo desciuerit, & delectetur nũc turpitudinibus, ad peccata homines impellat, & Ecclesiam filij Dei tã crudeliter persequatur: hîc rectè ac uerè respondetur: Diabolum, quia donatus fuit libertate, propria malitia, ac sua sponte lapsum esse. Sicut inquit Christus: Diabolus ab initio peccat, & in ueritate nõ stetit. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, et mendacij pater seu autor. Et est hæc defectio longè tristissima, propter quã tot millia excellentissimorum spirituum in horribiles & æternas pœnas abiecta sunt. Et conspicitur ex hoc exemplo ingens & horrenda ira Dei aduersus peccatum. Sed quæri potest & illud, cur tam præstans natura spiritualis peccati ueniam non consequatur, cùm homo terrenus, qui non minus

grauiter cecidit, à Deo receptus est? Hic uerè illud breuiter respondetur: Creaturam & Deum sine mediatore reconciliari non posse. Est autem unus tantùm constitutus mediator inter Deum & creaturam ream, ipse filius Dei. Sicut testatur Diuus Paulus, priore ad Timotheum secundo: Vnus, inquiens, Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS. Hunc mediatorem filium Dei, quia Diabolus ab initio superbè contempsit, & præferri sibi, ut naturam eminentiorem ægrè tulit, & etiamnum insatiabili odio aduersus eum ardet: ideo horrendi lapsus ueniam non consequitur, sed perpetuus manet, & est hostis filij Dei, & eius Ecclesiæ. Hoc odium primùm exarsit in paradiso, & exeruit se aduersus humanum genus, ex quo Ecclesiam sibi Deus colligere mirãdo consilio decreuit. Ideo iterum prodiens Deus ex arcana sua sede, edidit promißionem de semine, quod contriturum esset caput serpentis. Hac edita promißione, statim Diabolus cœpit horribiliter insidiari calcaneo benedicti seminis, hoc est, persequi Ecclesiam in Cain fratricida, & deinceps corruptela editæ promißionis, falsis cultibus, & homicidijs Ecclesiam, spõsam promißi redemptoris persecutus est, eamq; conatus deformare, & odiosam reddere sponso filio Dei, ne ullos cultores haberet, à quibus rectè agnosceretur, & celebraretur Deus. His autem

ultimis

ultimis mundi temporibus, ut uidetis, omnium maximè sæuit in genus humanum, ut uniuersam Ecclesiam deleat: Et res utcunq; procedit. Nam quot optimè constitutas Ecclesias his quatuor annis, quibus Germania nostra intestinis bellis exarsit, in regnum suum retraxit, partim turpißima nostra socordia, partim ingratitudine erga Deũ, qui cœlestem & salutarem doctrinam Euangelij nostra ætate mundo restituit? Sed excubat tamen pro sponsa sua filius Dei, & seruat in tantis furoribus Diaboli, & membrorum eius aliquos cœtus in urbibus & pagis, apud quos sonat adhuc incorrupta uox cœlestis doctrinæ, & retinentur ueri cultus Dei, uera notitia eius, & uera inuocatio. Et sicut dicitur Amos tertio cap. Quemadmodum pastor eruit de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: ita Deus hoc quoq; tempore in tantis dißipationibus, aliquas reliquias, & membra sponsæ sui filij eruit, à quibus ipse uerè agnoscatur, et inuocetur. Hoc ingens & admirandum Dei beneficium æquum est, ut omnes homines agnoscant, & gratis mentibus celebrent. Quum igitur in nostra inclyta Luneburga, quæ nobis, & multis bonis & eruditis uiris, & adolescentibus studiosis præbet hospitia, uictum & scholam, syncera adhuc doctrina Euangelij sonet, & retineantur contra hostes, ueri cultus Ecclesiæ singulari Dei bonitate, & nos beneficium diuinum agnosca

mus, & rogemus æternum patrem Domini, & liberatoris nostri IESV CHRISTI, ut deinceps & Ecclesiam & Scholam seruare, & tueri clementer uelit, contra Diabolum & hostes ueræ doctrinæ, & uerorum cultuum Dei: seruet etiam Rempublicam, & inclytum Senatum nostrum, & ciues, ut apud eos quietè discere literas & pietatē poßimus. Quare uos oro & obtestor per gratiā et redemptionem Domini nostri IESV CHRISTI, ut moribus honestis & pijs ornetis salutarē doctrinam Euangelij IESV CHRISTI, cuius summā in libello nostro Catecheseos præformatā habetis pueriliter, traditamq; in eo ueram sententiam firmis animis complectamini, et propugnetis tota uita, contra prophanas opiniones multorū. Ad hoc collegi his diebus aliquot Argumenta seu Obiectiones, quibus imperitiores fortasse perturbari possent, & breues earum adieci solutiones pias, & expeditas, ut eo pacto facilius ad calumnias Papistarum & aliorū respondere poßitis, qui ueram sententiam cœlestis doctrinæ traditam per Prophetas, Filium Dei, & Apostolos, hoc tempore admirandis præstigijs sceleste deprauant, et illudūt simplicioribus. Bene ualete, et operā, ac uoluntatem nostram iuuandi studia uestra puerilia, boni & æqui, ut facitis, consulite, & præceptorē uestri amantißimum, redamate. Data ex inclyta Lunæburga, Anno 1550. 26. Septembris.

VRBA.

VRBANVS

RHEGIVS, LVCAE LOSSIO
S. in Domino.



IBENTER PERLEGI *tuum illud compendiolum quæstionum, in quo summa, quæ fieri potuit, breuitate, præcipua Catechismi puncta, ad usum puerorum complexus es. Peruidi & Dialogum, cum sententijs ex scriptura sancta excerptis, ac laborem approbo, pueris profectò non inutilem futurum. Placet deniq; , ut edito hoc libello, non tantum pueri scholæ uestræ, sed aliarum quoq; ad pietatem exerceantur. Reliqui Catechismi, ut est meus, & Philippi, sunt prolixiores, & interdum nonnihil altioris Theologiæ admiscent, quàm ut promiscuè tàm teneris pueris prosint. Illa autem tua breuitas nemini imperuia est. Obsecro autem te & Symmystas tuos, per Christum, ne uos tot laborum in instituenda iuuentute pigeat, tædeat, & pœniteat: nulla hominum ingratitudo uos ab instituto tam sancto absterreat, sed uos in officio retineat dulcißima Danielis promißio, qui uobis in illo puluere scholastico* Danie.12

ſudantibus uelut acclamat. Qui ad iuſtitiam (in-
quit) multos erudiunt, quaſi ſtellæ, fulgebunt in
perpetuas æternitates. Cur enim non & in uos
hæc promiſſa transferam? cùm pietatem unà cum
bonis literis iuuentuti inſtilletis, & plantulas illas
etiamnum teneras renaſcentis Eccleſiæ ſedulò
plantetis & rigetis, unde proceras arbores olim
exorituras uidebitis? prodibunt enim ex hoc lu-
do ueſtro literario inſignes Theologi, qui Chriſti
Eccleſijs præficientur, & ſtabunt in acie aduer-
ſus Satanæ & Antichriſti exercitus, ubi certè
omnia, quæ illi præclara geſſerint, uobis accepta
ferentur. Pergite itaq; quemadmodum cœpiſtis
Chriſtum iuſtitiam noſtram ſynceriter & aſsi-
1.Corint. 15. duè in ſchola ueſtra docere: Et labor ueſter
non erit inanis in Domino, ut uos ſo-
latur Apoſtolus. Bene uale,
ex Cella, 24. Octobris.
Anno 40.

IN-

INDEX LOCORVM COMMVNIVM THEOLOGICORVM, QVI IN hoc Christianæ Catechesios libello breuiter explicantur, & confirmantur. a priorem, b posteriorem paginæ faciem notat.

A.

Absolutio quid 55 a 59 a 113 a 139 a

Adiaphora an & quomodo recipienda 81 a

ex Aegypto liberatio 127 a

Amen 102 b 107 a 135 b

Anabaptistarum obiectiones 68 a b

B.

Baptismi Christi, et Ioannis, discrimen 67 a

Baptismi necessitas 66 b

Baptismus 66 a 115 a 139 b

Baptismus an sit Sacramentum 66 b

Baptismus infantium 67 a 117 b

Bona opera 76 b 123 a

Bona opera an mereantur iustitiam 78 a 124 b

Bona spiritualia 52 a 103 b

C.

Calamitatum causa 5 b 75 a

Catechismi doctrina omnib. opus 6 b 86 b

Catechismi partes 1 b 86 b

Catechismi summa 125 b

Catechismus quid 1 b 86 a

Christi ascensus in cœlum 43 a 133 b

Christiano necessaria ad uitam æternam 1 b

Christus 131 b

Christus sitne Deus & persona 41 a

Cœlum quid 131 a

Cœna Domini 69 b 118 a

Cœna Domini an sit sacramentum 70 b 71 a
Cœnæ oblatio an prosit uiuis & mortuis 71 b
Cœnæ salubris sumptio 71 a 119 a
Cœnæ utraq; species sumenda 71 b
Concupiscentia 4 a 25 a
Concupiscere quid 129 a
Confeßio qualis retinenda in Ecclesia 58 b
Confeßio quid 55 a 110 b 138 b
Coniugium 21 b 74 a
Consolationes in cruce 76 a 122 b
Contritio quid 55 a 109 b
Corruptio humanæ naturæ 4 b
Creatio 2 b 38 b
Credere quid 130 b 139 b
Crucis causæ 75 a
Crux an sit signum amoris Dei 74 b
Crux triplex 121 b

D.

Decalogi usus triplex 27 a 92 b
Decalogus an abrogatus 7 a
Decalogus quid 2 b 87 a 126 b
Deus 126 b
Deus cur zelotes 129 b
Deus unus 13 a 37 b 127 a
Dextera quid 43 a
Dilectio an iustificet 28 a
Dilectio Dei, & proximi 129 a b
Diuitiæ an concessæ 23 b
Dubitatio an sit peccatū 32 a 54 a

E.

Ecclesia Christiana 85 b 134 b
Ecclesia quid 45 a 99 b
Ecclesiæ fundamentum 4 a
Ecclesiæ glorificatio 46 a
Ecclesiæ libertas spiritualis 54 b
Ecclesiæ sanctificatio 45 b
Elementum 114 b
Euangelium quid 10 b 47 a 87 a

Euange-

Euangelium audientes an omnes saluentur 12 b
Exauditio 51 a 53 b

F.

Falsum testimonium 129 a
Fides an sit fiducia 30 a
Fides Christiana quid 30 a 55 a 95 a 110 a 123 a
Fides Iudæorum & Turcarum 38 a
Fides piorum Veteris Testamenti 38 a
Fides sola an iustificet 32 b 94 a
Filium Dei hominem nasci, et pati an fuerit opus 42 a
Filius an portet iniquitatem patris 29 a
Furta & eorum pœnæ 22 b
Furtum facere, quid 128 b

G.

Generatio hominis 3 b
Gratia quid 36 a
Gratiarum actio 102 b
Gubernatio & sustentatio rerum 39 a

H.

Homicidia quæ prohibita 20 a
Honorare quid 128 a

I.

Iesus 131 b
Imago Dei in homine 3 b
Inferna 133 a
Inuocatio 102 b
Inuocatio an sit proprium opus Ecclesiæ 48 b
Inuocatio piorum Veteris Testamenti 13 b
Inuocatio Sanctorum 49 a
Inuocatio Turcarum & Iudæorum 13 b 48 b
Ira omnis an prohibita 21 a 90 b
Iudicia an prohibita 24 a
Iuramenta seruanda quæ 16 a
Iurare an liceat 15 a

Iustifi-

Iustificare quid 36 a
Iustificationis causa 9 b
Iustitia Dei 36 b

L.

Lapsis an sit reditus ad gratiam 55 b
Lapsus 3 a
Legis & Euangelij discrimen 10 b
Legis usus triplex 27 a 92 b
Lex an iustificet 9 a 28 b
Lex an poßibilis 8 b
Lex Dei quid 2 b 87 a
Lex Mosi an tradēda Christianis 6 b
Libidines prohibitæ 22 a 91 a

M.

Magistratui impio obediendum 19 a
Magistratui quatenus obediendum 18 b
Magistratus 74 a
Malorum causa 5 b
Malorum finis 53 b
Mendacium triplex 24 b
Missæ sacrificium 65 a
Mœchari quid 128 b

N.

Nomen Dei 127 b 136 a

O.

Occidere quid 128 b
Officia ciuilia an sint cultus Dei 19 a
Opera an mereantur uitam æternam 29 a 94 a
Opera legis cur faciēda 94 b 124 a
Opera mala 125 a
Opera media, quæ uocant, et traditiones Ecclesiæ 79 b
Oratio dominica 47 a 102 b 104 b 135 b
Ordinaria succeßio 45 a

P.

Panis quotidianus 52 b 137 a
Parentes qui 128 a
Peccata an omnia sint remissibilia 56 b
Peccati causa 40 a
Peccati effectus 5 a 86 a

Peccati

Peccati pœna 5 a
Peccatum cur fugiendum 125 a
Peccatū quid & quotuplex 100 b 101 a 135 a
Periuria an liceat punire 15 b
Pij ueteris Testamenti quomodo saluati 12 a
Pœnæ resipiscentium 58 a
Pœnitentia quid 54 b 109 a 138 b
Pœnitentiæ partes 54 b 56 b
Præmia operum bonorum 29 a 92 b
Precatio 47 a
Proprium tenere an liceat 23 a

R.

Redemptionis humanæ causa 6 a
Regnum Dei 136 b 138 a
Remißio peccatorum gratuita 10 a b 106 b 135 a
Renati an poßint labi 55 b 110 a 117 a

S.

de Sabbato obiectiones 16 b
Sabbatum 127 b
Sacramentorum neceßitas 62 a 114 b
Sacramentorum numerus 60 a 114 a
Sacramentorum Veteris & noui Testamenti discrimen 61 a
Sacramentorum usus & efficacia 63 a
Sacramentum Altaris 69 b 118 a
Sacramentum quid 60 a 114 a
Sacrificij & Sacramenti discrimen 63 a
Sacrificij species 63 b
Sacrificiorum εὐχαριστικῶν applicatio pro alijs 64 b
Sacrificium Miſſæ 65 a
Sacrificium propitiatorium tantum unum 63 b 65 a
Sāctificatio nominis Dei 136 a
Satisfactio 57 a 113 b
Solicitudo 52 b

Spiritus ſanctus 99 a 134 a
Spiritus ſanctus an fuerit ante Chriſtum incarnatum 44 b
Spiritus ſanctus an ſit Deus, & diſtincta perſona à patre & filio 44 a
Symbolum Apoſtolicum 30 a 95 a 130 b

T.

Tentatio 53 a 137 b
Terra quid 131 a
Teſtamentum nouum 142 a
Trinitas 37 b

V.

Victus 52 b
Vindicta 20 b 90 a
Vita æterna 135 b
Vocatio Chriſtiana 73 a 120 a
Vocis externæ energia 6 a
Voluntas Dei 136 b
Vota monachorum 16 a

FINIS.

STV-

STVDIOSO CHRI-
STIANAE RELIGIO-
nis puero, Hermannus
Tulichius.

Disce puer Christũ rudibus cognoscere ab annis,
  Idq; Dei ex uerbo, quo sine nulla salus.
Quo sine quid refert omnes uolitasse per artes?
  Quo sine quid studium quamlibet acre ualet?
Quo sine quid sophiæ confert impendere uitam?
  Quo sine quid prodest omnia scire? nihil.
Sunt aliquid, fateor, præstantia dona Mineruæ,
  Attamen ad uerbum, sunt uelut umbra, Dei.
Hoc lux atq; uia est, cœli quæ ducit ad arcem,
  Quo sine nil solidi sub Ioue mundus habet.
Hoc uita æterna est, nullo reparabilis auro,
  Sed fuso Christi sanguine parta tibi.
Pendet ab hoc animæq; salus, & uita perennis,
  Qua sine lucrari quid iuuat orbis opes?
Cætera sunt tenebræ, sunt deuia, falsa, caduca,
  Et subitò, quamuis splendida, mortis erunt.
Gloria, uis, & honos, fastus, sapientia mundi,
  Dum florere putas, languida facta cadunt.
Hoc manet æternum, nullo uiolabile ferro,
  Teq;, fremat Dæmon uel sine fine, beat.
Hoc studiose puer tenerum sectare per æuum
  Et tibi succedet, credito, quicquid ages.

Discere

Discere seu mens est aliquid, seu scribere cordi,
Ad Christum toto pectore funde preces.
Ac age, quod certũ est, Dominoq́; Deoq́; placere,
Qui rigat, & præsens crescere quæq; facit.
Cunctarum Domino debetur gloria rerum,
Ad laudem cuius, cœpta, peracta, refer.
Hunc propone scopum cunctis in rebus agendis,
Et studijs fructum, diuitiasq́; tuis.
Et dabit hic quantum satis est traducere uitæ,
Et cœli regnum post tua fata tibi.
Procedit siquidem, quicquid conatur agitq́;
Ex uerbo, Dominum qui timet atq; colit.
Quicquid agis, Domini laudem, fratrisq́; salutem
Quærito, de fructu uiderit ipse Deus.
Notitia cuius cœlestia regna parantur,
Quæ præstare tibi nulla Thalia potest.
Quare prima tibi uerbum sit cura Deusq́;,
Et studijs fœlix inuigilato bonis.

SVMMVLA

SVMMVLA CATECHISMI PRO PARVVLIS.



Quid es? *Homo Christianus.*

Cur homo?

Quia animal sum, à Deo generatus, rationis & sermonis particeps.

Cur Christianus?

Quia baptizatus sum in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, & in Christum Iesum filium Dei credo, Deumq; per Christum inuoco.

Cur Deus te generauit hominem?

Vt Deum ex ipsius uerbo cognoscerem, inuo-

tarem et celebrarem, uitamq; æternam per fidem in Christum ipsius filium consequerer.

Quot sunt ad uitam æternam consequendam Christiano homini necessaria? *Quinq;.* Quod est primum? *Vt peccata sua ex lege Dei agnoscat.* Quod est secundum? *Vt in Deum per Christum ipsius filium uerè credat.* Quod est tertium? *Vt solum Deum per Christum mediatorem nostrũ inuocet.* Quod est quartum? *Vt quotidie pœnitentiã de peccatis suis agat.* Quod est quintum? *Vt fidem suam de remißione peccatorum sæpe per sacramentorum usum confirmet.*

Vnde hæc summatim discuntur?
Ex Catechismo.

Quid est Catechismus?
Est Methodus Christianæ doctrinæ, in qua rudes Christiani ad ueram pietatem uiua uoce instituuntur.

Quot sunt partes Catechismi?
Quinq;.

Quæ sunt?
1. Decalogus.
2. Symbolum Apostolicum.
3. Oratio Dominica.
4. Doctrina de pœnitentia, confessione, & absolutione.
5. Et doctrina de utroq; Sacramento,

DE CATECHISMO.

Baptismi, & Corporis ac Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, seu Cœnæ Dominicæ.

DE PRIMA PARTE Catechismi, de Decalogo, siue Lege Dei.



Quæ est prima pars Catechismi?

Decalogus, siue Lex Dei.

Quid est Decalogus?

Est sancta Lex Dei, in decem præcepta distincta, quibus Deus præcipit, quid agere & omittere debeamus.

Quid est Lex Dei?

Est doctrina, qua Deus requirit à nobis perfectam iustitiam & sanctitatem, & inobedientibus minatur æternam damnationem.

SEQVVNTVR OBIECTIONES *de creatione, lapsu, & reparatione Hominis.*

QVAESTIO DE CREATIONE.

Estne creatus homo, hoc est, factus à Deo ex nihilo? *Est. Quia Sapientiæ 2. dicitur: Creauit Deus hominem ad uitam perpetuam, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Est autem creare facere aliquid ex nihilo.*

CONTRA.

1. Deus fecit Adam ex limo terræ, & mulierem ex costa eius. *Genesis 2. Sapientiæ 9.*

Ergo homo non est creatus ex nihilo.

RESPONSIO.

Deus usus est limo terræ informi, & costa tanquam instrumento seu medio (sine quo tamen ut

cæteras

cæteras creaturas, cœlum & terram, etiam homi nem creare potuerat) sed in terra arida, & costa nihil hominis fuit, hoc est, nulla forma, seu habilitas ad hominem, ad eius membra & uires. Quare hæc omnia creata sunt ex nihilo per uerbum Dei, *sicut capite* 1. *dicitur:* Creauit Deus *hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem* Dei *creauit illum, masculum & fœmellam creauit illos?*

DE LAPSV.

Homo creatus est ad imaginem Dei, 2.
Imago Dei est sapientia & iustitia Dei:
Ergo homo Deum uerè nouit, Deo obtemperat, & per se iustus est: & per consequens, homo sua iustitia saluatur, & legi Dei satisfacit.

RESPONSIO.

Conditus *est homo initiò ad imaginem* Dei, *ornatus illustri notitia* Dei, *& orignali iustitia, sed circumuentus postea insidijs* Diaboli, *& propriæ obsequens uoluntati, lapsus est, & auertit se libe rè à prima integritate, unde sapientia & iustitia orignali priuatus est, ut iam corruptus peccato, nihil nisi carnalia sapiat, cogitet, agat, & uelit.* 1. Corinth. 3. Gene. 3.

DE REPARATIONE IMAGInis Dei in homine.

3. Homo per peccatum amisit imaginem Dei, hoc est, ueram Dei notitiam, iustitiam & uitam æternam:

Ergo nemo hominum uerè iam nouit Deum, nemo ei obtemperat, & habet iustitiam, aut uitã æternam.

RESPONSIO.

Nego *consequentiam: Quia amissa imago* Dei *per peccatum, in credentibus iterum reparatur, & accenditur in mentibus noua lux, per prædicationem* Euangelij, *usum Sacramentorum, & absolutionem, quibus restituitur homini gratia* Dei, *spiritus sanctus, noua lux, notitia* Dei, *& iustitia, sicut* Adam *&* Eua *receperunt iustitiam & notitiam* Dei *per fidem in datam promißionem de uenturo semine contrituro caput serpentis,* Genesis *3. Ad hanc renouationem hortatur nos* Paulus, Coloss. *2. Exuite, inquiens, ueterem hominem, & induite nouum, cum qui renouatur in agnitionem* Dei, *secundum imaginem eius, qui creauit eum. Item* Ephe. *4. Renouamini in spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominem, qui secundum* Deum *creatus est, in iustitia & sanctitate.*

DE GENERATIONE HOMINIS, *seu de concupiscentia.*

Naturalia non sunt peccata.

1. Generatio hominis est actio naturalis:

Ergo

Ergo generatio non est peccatum, seu actio peccato obnoxia, aut rea.

RESPONSIO.

Nego maiorem. Quia naturalia post lapsum Adæ sunt corrupta, & peccato obnoxia, propter corruptionem naturæ, quæ secuta est lapsum hominis. Est igitur fallacia accidentis.

Concupiscentia manet in renatis. 2.
Ergo renati non sunt prorsus purgati à peccatis.

Respondeo per distinctionem: Purgati sunt imputatione per fidem. Sicut inquit Apostolus: Nulla est iā cōdemnatio in ijs, qui insiti sunt Chri- Roma. 8.
sto. Igitur infirmitas reliqua propter mediatorem eis condonatur, qui eam agnoscunt, & student emendare.

DE FVNDAMENTO SEV capite Ecclesiæ.

Ecclesia fundata est super Petrum. 3.
Nam inquit Christus Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:
Ergo Ecclesia non est fundata super uerbum Dei, aut super Christum.

Respondeo ad antecedens. Quia non inquit Christus, Super te Petrum, sed, super hanc petrā, hoc est, firmam tuā de me confessionem ædificabō Ecclesiam meā. Est igitur fallacia æquiuocationis in coniugatis.

DE CORRVPTIONE HVmanæ naturæ.

4. Ratio, ut inquit Philosophus, deprecatur ad optima.

Ergo tota natura hominis non est deprauata per lapsum Adæ.

Respondeo ad antecedens, per distinctionem, Reliquum est in natura iudicium de discrimine honestorum & turpium. Item aliqua notitia legis, ut maneat in nobis testimoniū de iudicio Dei. Sed uoluntas, tanquam equus indomitus, aurigam rapit, & pellit rationem, ne recta constanter amplectatur. Deinde ipsum iudicium non est integrum, sed plenum ignoratione & dubitatione de prouidentia Dei, & beneuolentia eius erga humanum genus. Sicut inquit Paulus: Animalis homo
1. Cor. 2. *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Est igitur fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.*

DE SPIRITVALI LIBERtate Ecclesiæ.

5. Moriuntur etiam Sancti, & sentiunt horrores peccati & mortis, & tyrannidem Diaboli:

Ergo Sancti non prorsus sunt liberati à peccato, morte, & potentia Satanæ.

Respondeo ad antecedens, per distinctionem:

Sancti

Sancti liberati sunt à peccato, morte, & Satanæ imputatione. Item, ne desperent in terroribus, ut impij, donatur eis spiritus sanctus, qui im ipsis est efficax, ut inchoënt nouam uitam, repugnent peccatis, & tandem eluctentur è tentatione.

DE POENA PECCATI.

Nemo patitur pœnam alieni peccati. 6.
Ergo Deus iniustè punit cæteros homines propter lapsum Adæ.

Respondeo ad antecedens, per distinctionem: Nemo patitur pœnam alieni peccati, cuius non ipse sit etiam aliquo modo particeps seu reus. Sed homines participes seu rei sunt lapsus & inobedientiæ Adæ parentis sui. Quia natura humana est corrupta propter propagationem carnalem, quæ facit ut posteritas iam talis sit, qualis Adam pater fuit. Ideo puniuntur homines, non tantùm propter peccata actualia, sed etiam propter peccatum seu uitium originis.

DE EFFECTV PECCATI, *seu causa malorum.*

Defectus nō est efficax, seu nihil agit, quia nihil est. 7.
Peccatū originale est defectus. Quia est, ut finit Anshelmus, carentia originalis iustitiæ:
Ergo peccatum originale non est efficax, seu nihil agit: & per conse-

quens, peccatum non est causa calamitatum humani generis.

Respondeo ad probationem maioris, per distinctionem: Nihil, est duplex. Nihil negatiuum, quod nihil agit, Vt equus Alexandri mortuus. Et nihil priuatiuũ, quod est destructio in subiecto, ut ruinæ in ædificio, morbus in corpore. Hæc destructio agit aliquid, hoc est, mouet indignationem in mente Architecti. Sic peccatũ originis in Deo primum excitat iram propter confusionem ordinis in natura. Deinde causa est uitiosorum motuũ, & actualium peccatorum, quæ Deus punit pœnis corporalibus & æternis.

AN DEVS AVTOR CALAMITATUM *generis humani.*

8. Deus autor est calamitatum seu malorum pœnæ. Quia inquit: Non est malum in ciuitate, quod ego non faciam:

Ergo peccatum non est causa calamitatum.

Respondeo ad antecedens per distinctionem: Deus est causa puniens, non approbans, aut uolẽs peccatũ: peccatum est causa calamitatũ efficiens, seu impellens mentem diuinam ad puniendum

Psalm. 5. *peccata, quæ Deus horribiliter odit. Sicut inquit*

Psal. 38. *Psal. Non Deus uolens iniquitatem tu es. Item: Propter iniquitatem corrumpis filios hominum.*

DE

DE CAVSA REDEM-ptionis humanæ.

Paulus inquit Ephe.1. Deus elegit nos in Christo, antequam iacerentur fun- 9.
damenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles per charitatem.

Ergo non solùm misericordia motus est Deus, ut reciperet nos, & mitteret filium, sed etiam nostra sanctitate, quam Deus præuidit.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia secundum non causam ut causam. Nam sanctitas seu dilectio nostra non fuit causa efficiens, seu mouens uoluntatem Dei, sed causa finalis, seu fructus redemptionis. Electio igitur sanctos fecit, non sanctitas præuisa meruit electionem.

DE ENERGIA VOCIS externæ.

Spiritus sanctus internè instituit ac 10.
mouet mentes ad ueram pietatem,
iuxta illud: Omnes erunt docti à Esa.45.
Deo: Ioan.6.

Ergo non est opus uiua uoce, seu externa institutione.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia non sufficien-

ficientium causarum. Nam tres sunt causæ propinquæ pietatis, seu cognitionis Dei, Spiritus sanctus, Verbum externum, & uoluntas humana assentiens: quarum nulla negligenda est.

AN OMNIBUS OPVS SIT doctrina Catechismi.

21. Rudiores instituendi sunt in doctrina Catechismi:
Ergo adulti, seu instituti antea, ea opus non habent.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia in contrarijs mediatis consequentia non ualet. Nemo autem tantam est consecutus huius doctrinæ cognitionem, ut eam lectione ac meditatione quotidiana augere non poßit. Ideo iubet D. Petrus, ut indies in gratia & cognitione Christi Domini & seruatoris nostri crescamus. 2. Pet. 3.

DE LEGE.

AN LEX MOYSI TRADENda sit Christianis.

Lex Moysi non obligat Christianos.
Quia ab ea sunt liberati per Christum. Sicut inquit Paulus, Roma. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia.
Ergo lex Moysi nō est tradenda Christianis.

RE-

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Nam leges Moysi ceremoniales et forenses tantùm abrogatæ sunt, non Moralis seu Decalogus. Quia sicut Lex naturæ aboleri non potest in mente hominis, ita etiam Decalogus est immutabilis, quia est nihil aliud, quàm lex naturæ, et legis naturæ renouatio.

CONTRA.

AN ABROGATVS DEcalogus.

Est lex ipsa moralis, seu Decalogus abrogatus. Inquit enim Paulus de tota lege: Non estis sub lege, sed sub gratia. Item: Iusto non est lex posita. 1. Roma. 6. 1. Tim. 1.

Respondeo per distinctionem: Christiani non sunt sub lege, quantum attinet ad maledictionem, à qua liberati sunt per Christum, qui λύτρα, hoc est, pœnam pro nobis persoluit: sed quantum attinet ad obedientiam, cui creatura rationalis perpetuò & immutabiliter subiecta est, propter diuinam ordinationem & uoluntatem. Deinde, Lex iusto non est posita, quantum ad disciplinam attinet. Quia renatus spiritu sancto uolens obtemperat Deo. Est autem posita lex omnibus, quantum attinet ad cognitionem peccatorum, & præstandam obedientiam.

Doctrina

4. Doctrina adferens æterna bona, non est dicenda tristis.

Lex seu Decalogus adfert uitam æternam. Sicut inquit Christus: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata Dei.
Mat. 19.

Ergo lex non est tristis doctrina.

Respõdeo ad maiorem, per distinctionem: Lex adfert uitam cum conditione perfectæ impletionis. Sed nemo perfectè seruat seu implet legem, iuxta illud Psalmi: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ergo lex uitam non adfert sine cognitione Christi, & prælucente fide, qua statuimus nobis ignosci à Deo propter Christum, recipi nos in gratiam, iuuari & exaudiri. Hæc fides seu cognitio adfert uitam & consolationem.
Psal. 142

5. Quicquid auget peccatum, non est prędicandum.

Lex auget peccatũ. Inquit enim Paulus Roma. 6. Lex obiter intrauit, ut abundaret delictum. Et priore Corinth. 15. Virtus peccati lex est.

Ergo lex non est prædicanda.

Respõdeo ad minorem, per distinctionem: Lex auget peccatum non in moribus seu in uita, sed in conscientijs, ut agnoscatur magnitudo peccati, et ira Dei aduersus peccatum, quam securi contemnunt, sine cognitione legis.

Quod

Quod adigit ad desperationem, non 4.
est prædicandum.
Lex adigit ad desperationem, ostendens iram Dei aduersus peccata, ut in Iuda & aliis conspicitur.
Ergo lex non est prædicanda Christianis.

RESPONSIO.

Lex non est sola prædicanda, sed addendum est Euangelium de reconciliatione gratuita propter Christum, quo mentes perterrefactæ cognitione peccati, & conspectu iræ Dei rursus eriguntur, & confugiunt ad mediatorem.

Lex non iustificat: 5.
Ergo inutilis est eius prædicatio.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia legis alius usus est in Ecclesia, uidelicet, primum ut peccata reuelet. Sicut inquit Paulus: Per legem est cognitio Roma. 3.
peccati. Deinde, ut disciplina legis coërceantur homines carnales. Tertiò, ut sit regula bonorum operum, quæ Deus mandauit, & approbat.

Christus inquit, Marci ultimo: Prędicate Euangelium omni creaturæ: 6.
Ergo lex non est prædicanda, sed tantùm Euangelium.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia diuisionis.

sionis. Nam alibi complectens summam doctrinæ Euãgelij, addit etiam prædicationem pœnitentiæ, seu legis, cùm inquit: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Marci 1.

QVAESTIO, AN LEX SIT *poßibilis, & quomodo.*

Estne Lex possibilis, seu potest ne homo eam implere suis uiribus?

Non.

CONTRA.

Inquit Hieronymus: Anathema sit, si quis dixerit, Deum impossibilia præcepisse.

RESPONSIO.

Non est pugnantia in relatiuè contrarijs, diuerso respectu. Sic lex est impoßibilis homini, sine gratia spiritus sancti: Poßibilis uerò, cùm à gratia Dei adiuuatur. Vnde idem inquit: Si quis dixerit, non posse mandata Dei impleri sine gratia Dei, anathema sit.

CONTRA.

Nemo tanta gratia donatur, ut perfectè impleat legem. Vnde Paulus inquit: Nos tantùm primitias spiritus accipere. *Roma. 8.*

Ergo nemo legem implet perfectè.

RESPONSIO.

Gratia dupliciter intelligitur. Primùm de imputatione.

putatione. Deinde de auxilio spiritussancti, qui nouos motus excitat in nobis, consentientes legi Dei. Etiamsi igitur à perfectione longè absumus, tamen inchoata obediẽtia reputatur pro iustitia à Deo, qua persona accepta est propter mediatorem Christum.

ALIA, AN LEX IVSTIFICET.

Iustificat ne lex coram Deo?

Respon. Non. Quia inquit Paulus: Arbitramur hominem fide iustificari, absq; operibus legis. Roma.3.

CONTRA.

Inquit Iacobus capite 2. Videtis igitur quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide solùm.

RESPONSIO.

Non est pugnantia: Quia Paulus loquitur de fide, quæ est fiducia misericordiæ, intuens mediatorem, & propter eum accipiens reconciliationem. Iacobus uerò intelligit notitiam historiæ, qualis etiam est in damnatis. Ait enim: Dæmones credunt, & contremiscunt. Hæc fides non iustificat.

ALIA OBIECTIO, DE CAVSA IVSTIFICATIONIS.

Iustificatio & sanctificatio, seu renouatio perpetuò coniunctæ sunt.

Ergo iustificatio & sanctificatio ea-

dem sunt. & non tantùm iusti sumus fide, seu imputatione, sed etiã renouatione, seu qualitatibus nostris.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia plus est in consequente, quàm in antecedente. Nam etsi concedendum est, simul atq; iustificatur quispiam, necessariò etiam consequi innouationem, tamen hinc non sequitur, unam candemq; rem esse iustificationem & innouationem. Sicut lumen Solis & calor non sunt idem. Differunt igitur iustificatio & innouatio. Nam iustificationis causa est gratuita imputatio: Renouationis causa est ipsa iustificatio. Sunt autem coniuncta tanquam calor & ignis inseparabiliter. Tribuitur autem iustificatio non innouationi seu qualitatibus nostris, sed imputationi diuinæ, seu fidei, ut certa sit remißio peccatorum, & tribuatur Christo honor debitus. Non esse autem iustitiam ex operibus legis, his duobus Syllogismis probatur:

1. *Iustitia operum est perfecta legis obedientia.*
Nemo legi perfectè obedit:
Ergo nemo est iustus operibus legis.

2. *Oportet promißionem de remißione peccatorum esse certam. Sicut inquit Paulus, Roma. 4. Ideo ex fide datur hæreditas, ut certa sit promißio.*

Promißio

Promißio legis pendens ex conditione operũ, eſt incerta:

Ergo remißio peccatorum non eſt ex lege, ſed ex fide, ſeu imputatione, ut ſit certa.

ALIA OBIECTIO, DE GRAtuita remißione peccatorum.

Deus imponit Dauidi pœnas poſt cõdonationem peccati. Item Daniel iubet, ut Rex Nabogdonoſor redimat ſe à peccatis eleemoſynis:

Ergo remiſſio peccatorum non tantùm eſt gratuita imputatio iuſtitiæ, ſed etiam requiritur compenſatio pro peccatis.

RESPONSIO.

Nego conſequentiam: Quia Dauidi imponuntur pœnæ corporales poſt remißionem peccati, non tanquam compenſatio ſeu ſatisfactio, ſed ut agnoſceret magnitudinem iræ Dei aduerſus peccatum, & haberet exercitia inuocationis, ac peccata diligentius uitaret in poſterum. In dicto autem Danielis phraſis eſt ſcripturæ. Redime ſeu libera te à peccatis, pro, ceſſa peccare: & requirit officia miſericordiæ, quæ in reconciliatis ſunt fructus pœnitentiæ, non meritum ſeu compenſatio reconciliationis, quæ accipitur gratis fide, propter mediatorem Chriſtum.

QVAESTIONES DE GRATVITA CONDONAtione peccatorum, testimonia.

Da aliquot locos scripturæ, qui probant remissionem peccatorum esse condonationem gratuitam.

Psal. 32. inquit David: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir, cui* Dominus *non imputauit peccatum.* Paulus ad Roma. 4. *Credidit* Abraham Deo, & *imputatum est ei ad iustitiam. Ei uerò qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Porrò *ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam* Et posteriore Corin. 5. Erat Deus *in* Christo, *mundum sibi reconcilians, non imputando hominibus peccata.*

CONTRA.

Deus summè iustus est:

Ergo non remittit peccata sine compensatione.

RESPONSIO.

Concedo *argumentum:* Sed *filius* Dei *factus est compensatio, seu satisfactio nostra, sustinens pro nobis pœnam, ac persoluens* λύτρον. *Sicut inquit* Esaias 53. *Languores nostros ipse tulit, ut nobis sit pax, & uenia concedatur.*

DE DISCRIMINE LEGIS & Euangelij, Quæstio.

Estne

Estne aliquod discrimen inter doctrinam Legis & Euangelij?

Respon. Est sanè.

CONTRA.

Et Lex & Euangelium pariter offerunt remissionem peccatorum:
Ergo nihil differunt Lex & Euangelium.

Respondeo per distinctionem: Lex *promittit remissionem peccatorum cum conditione nostræ dignitatis,* N*am requirit perfectam obedientiam erga* Deum. *Sed* Euangelium *offert gratis remissionem peccatorum, sine conditione dignitatis, et pronunciat nos iustos, hoc est, acceptos esse* Deo *propter* Christum, *etiamsi legi non satisfaciamus.*

CONTRA.

Promissio Euangelij requirit fidem et obedientiam:
Ergo habet conditionem.

RESPONSIO.

Concedo argumentum: Sed requirit fidem tanquam medium, quo accipitur beneficium, & obedientiam seu nouitatem uitæ tāquam fructum, nō tanquam causam reconciliationis. N*am hæc causa non est dignitas nostra, aut qualitas ulla in nobis, sed tantum meritum Christi extra nos, quod ideo fide accipiendum gratis offertur, ut certa sit reconciliatio, & honor reconciliationis Chri-*

sto tribuatur. Vt inquit Paulus: Ideo ex fide, ut firma sit promißio. Roma. 4.

ALITER.

Lex habet promissionem uitæ æternæ; sicut Euangelium, ut: Qui fecerit ea, uiuet in eis. Et Christus dicit: Hoc fac, & uiues.

Deut. 27.
Matt. 19.

Ergo Lex & Euangelium nihil differunt.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est dißimilitudo promißionum Legis & Euāgelij. Nam promißiones legis habent conditionem implendæ legis. Vt est hæc: Qui fecerit ea, uiuet in eis. Sed promißio Euangelij, quæ propriè est remißio peccatorum, gratuita est, requirens tantùm fidem assentientē promißioni. Sicut inquit Christus: Qui credit in me, habet uitam æternam Ioannis 6.

QVAESTIO.

Estne aliud discrimen Legis & Euangelij. *Respon.*

Est utiq;. Nam lex natura nota est. Sicut testatur Paulus ad Romanos 1. Euangelium uerò nō est natura notum, sed reuelatum est diuinitus. Vnde Paulus mysterium absconditum uocat. Et Ioannes inquit: Filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Ioan. 1.

1. Cor. 2.
1. Col. 1.

CONTRA.

Si lex naturæ nota fuit, quid opus fuit eam promulgari per Moysen?

RESPONSIO.

Tres sunt causæ. Prima, quia lex naturæ erat obscurata in plerisq; hominibus. Secunda, ut expressa uox, & testimonium Dei extaret, exigentis & approbantis obedientiam. Tertia, ut sciremus eam esse ueram normam in mente diuina, discernentem iusta & iniusta, & agnosceremus eam esse iudicium æternum & immutabile aduersus peccatum, ut ira Dei agnita, quæreretur promissio Meßiæ.

ALIA OBIECTIO, QVOMODO *saluati sint pij Veteris testamenti.*

Sine cognitione Euangelij non est remißio peccatorum gratuita.

In ueteri testamento non habuerunt Euangelium. Inquit enim Ioannes: Lex per Moysen data est, gratia autem & ueritas per Iesum Christum facta est.

Ergo non habuerunt in Veteri testamento gratuitam remißionem peccatorum.

RESPONSIO.

Nego *minorem*: *Quia promißio edita statim post lapsum Adæ, de semine cõtrituro caput serpẽtis, hoc est, de Meßia, uerè Euangelium fuit. Item*

hæc Gene. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Loquitur autem Ioannes de præcipuo officio Moysi, quod erat promulgare legem, & discernit legem ab Euangelio, & utriusq; promißiones. Nec tantùm Euangelium dicendæ sunt promißiones Noui testamenti, sed etiam dicta Moysi & Prophetarum de Meßia, & eius beneficijs æternis.

ALIA, AN OMNES SALVENtur audientes Euangelium.

Euangelium est promissio salutis uniuersalis, pertinens ad omnes:
Ergo omnes audientes Euangelium consequuntur salutem.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia promißio Euangelij, ut suprà dictum est, requirit conditionem fidei, quæ correlatiuum est promißionis. Vnde inquit Ioannes cap. 1. Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ipsius. Ideo non omnes saluantur, quia non omnes, ut inquit Paulus Rom. 10. Euangelio obediunt.

Quomodo diuiditur Decalogus?
In duas tabulas, priorem & posteriorem.
Quæ est prior tabula?
Quæ tria prima præcepta continet.
Quæ sunt ea?

PRI-

PRIMVM.



Ego sum Dominus Deus tuus, Non habebis deos alienos coram me.

Hoc est, Me præ omnibus timebis, & amabis, in meq́; solum confides.

OBIECTIO, DE VNItate Dei.

Vnus est tantùm uerus Deus:
Ergo nemo potest habere deos alienos.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia æquiuo

cationis. Nam habere Deum, significat fiduciam ac spem suam collocare in Deum. Habent igitur alienos deos, qui in aliam rem quamcunq;, quæ nõ est Deus, fiduciam suam ponunt, & ab ea auxilium petunt & expectant. Nam illud, ut inquit Diuus Augustinus, cuiq; Deus, quod toto pectore colit.

ALIA, DE INVOCATIONE
Turcarum & Iudæorum.

Iudæi & Turcæ colunt & inuocant unum & æternum Deum, qui est cõditor rerum:

Ergo uerum Deum colunt & inuocant.

RESPONSIO.

Nego antecedens. Quia Iudæi & Turcæ dupliciter aberrant à uero Deo. Primum in essentia, quia non inuocant aut colunt eum Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, extra quem Deus non rectè cognoscitur. Deinde aberrant etiam in uoluntate Dei, quæ tantùm in filio elucet, tanquàm in imagine, quem Iudæi & Turcæ non agnoscunt, sed horribiliter blasphemant.

ALIA, DE INVOCATIONE
piorum Veteris testamenti.

Patres Veteris testamenti non inuocauerunt

cauerunt Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, sed qui Israëlitas eduxit de Aegypto:
Ergo non inuocauerunt uerum Deũ: aut Iudæi hoc tempore uerũ Deum inuocant & colunt.

RESPONSIO.

Nego antecedens. Quia etiam patres Veteris testamenti inuocârunt Deum, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, quem Deus eis promisit, & filius ille ipse Deus fuit, quo ducente & præeunte egreßi sunt Israëlitæ ex Aegypto. Sicut inquit Diuus Paulus, priore Corinth. 10. Comitante eos petra, fuit autem petra Christus.

Deinde nego consequentiam: Quia est dißimilitudo. Nam patres habuerunt mandatum, ut eum Deum inuocarent ac colerent, qui Israëlitas eduxit ex Aegypto. Iam habemus nouum mandatum, ut credamus in eundem Deum, sed qui misit filium mediatorem, de quo clamauit: Hunc audite. Matth. 17.

SECVNDVM.

SECVNDVM.



Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum, Non enim habebit Deus insontem eum, qui nomen Domini Dei sui in uanum assumpserit.

Hoc est, Nomen Dei *non usurpabis in res uanas, inutiles aut impias, sed in omni necessitate tua illud inuocabis, celebrabis & confiteberis, &* Deo *ages gratias in omnibus rebus, prosperis & aduersis.*

QVAESTIO, AN IVRARE *liceat.*

Licet ne

Licetne Christiano iurare?

Etiam, cùm id aut iubet Magistratus, aut uocatio & gloria Dei exigit. Quia lex inquit: In nomine Dei tui iurabis. Deut. 6. *Et Paulus iuramento usus est, posteriore Corin. 1 Ego autem Deum testem inuoco aduersus animam meam.*

CONTRA.

Christus iuramentum prohibet, Matthæi 5. cùm inquit: Ego autem dico uobis, ne iuretis omnino.

Respondeo per distinctionem: Christus improbat iuramenta, quæ dantur sine uocatione, & sine mandato Magistratus. Non prohibet iuramento uti, quod aut defert Magistratus, aut quo uti cogit uocatio, aut gloria Dei.

CONTRA.

Christus inquit: Sermo uester sit ita, & non: Matth. 5.

Ergo iurare non licet, nec opus est alia confirmatione.

RESPONSIO.

Loquitur Christus de priuatis contractibus, & familiaribus colloquijs, ubi non cogit ad iusiurandum uocatio, gloria Dei non exigit, nec Magistratus iuramentum defert subditis.

Abusio nominis Dei est prohibita.
Iurantes abutuntur nomine Dei:
Ergo iurantes peccant.

RE-

RESPONSIO.

Nego *minorem*. *Nam iurantes mandato Magistratus, aut exigente uocatione & gloria* Dei, *non abutuntur nomine* Dei, *sed præstant obedientiam Magistratui, & officium dilectionis proximo, in dirimendis controuersijs.* Iuxta illud ad Hebr. 6. *Omnis controuersiæ finis est iusiurandum.*

QVAESTIO, AN PVNIRE
liceat periuria.

Debent ne Magistratus punire periuria?

Respon. Etiam. *Quod hoc Syllogismo probatur:*

Magistratus debet tueri omnia uincula societatis & iudiciorum.

Iuramentum est præcipuum uinculum politici status:

Ergo eius autoritas maximè defendi debet per Magistratus.

CONTRA.

Magistratus politicus est custos tantum secundæ tabulæ.

Periurium est peccatum contra priorem tabulam:

Ergo Magistratus non debet punire periuria.

RESPONSIO.

Nego Maiorem: *Quia Magistratus est custos*

totius

totius legis, quod ad externam disciplinã attinet. Ideo punire debet delicta externa aduersus omnia præcepta, & contumelias externas diuini nominis, Iuxta hoc Leuitici 24. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

QVAE IVRAMENTA seruanda sint.

Iuramenta sunt seruanda.

Herodes iurauit se interfecturum Baptistam: Mat. 14. Mar. 6.

Ergo rectè fecit.

Respondeo ad maiorem, per distinctionem: Iuramenta licita sunt seruanda, hoc est, in quibus promittitur quod peccatum non est, aut sine peccato præstari potest, non illicita, quale iuramentũ fuit Herodis promittentis se facturum iniustam cædem.

DE VOTIS MONACHORVM.

Vota sunt seruanda.

Monachi uouerunt paupertatem:

Ergo hoc uotum seruare debent.

Respondeo ad maiorem, per distinctionem: Vota seruanda sunt, quæ fiunt iuxta uerbum Dei, et eius gloriam non lædunt, sicut uota monastica, quæ fingunt ceremonias esse cultus Dei, quæ merentur remißionem peccatorum: quia hæc gloria tantùm debetur meritis Christi, non traditionibus humanis.

TER-

TERTIVM.



Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Hoc est, Dies festos actionibus pijs & sanctis transiges, ut audiendo & discendo uerbum Dei, *celebrandis ceremonijs, orando publicè, & similibus.*

OBIECTIO DE SABBATO.

Decalogus est immutabilis, quia est
1. lex naturæ.
Mandatum de sabbato est pręceptum Decalogi:
Ergo mandatum de sabbato est immutabi

mutabile: & per consequens, non rectè dies sabbati mutatus est ab Ecclesia, & uiolant sabbatum, qui in eo operantur.

Respondeo ad maiorem: Decalogus est immutabilis, quatenus est lex naturæ: sed præceptum de sabbato duas partes continet. unam naturalem, seu moralem, seu genus, uidelicet conseruationem ministerij, & ceremoniarum, quæ diuinitus sunt institutæ, hoc genus est perpetuum, et abrogari non potest. Altera pars est ceremonia propria populo Israël, seu species de septimo die. Hæc pars, sicut reliquæ ceremoniæ Leuiticæ, abrogata est.

Abrogata est lex de sabbato: 2.
Ergo non peccant, qui in die sabbati seu Dominico operantur.

Respondeo per distinctionem: Non peccant, si opus non impedit sanctificationem sabbati, quæ præcipua est mandata, hoc est, ministerium Dei, & ceremonias institutas diuinitus: sed peccant, qui hæc contumaciter negligunt, & tempus publici ministerij, & ceremoniarum in alias res quascunq; conferunt.

Sabbatum est abrogatum: 3.
Ergo licet etiam abolere alios dies festos omnes institutos ab Ecclesia.

RESPONSIO.

Nego consequentiam. Nam sicut Sabbatum abrogatum est, quantum ad speciem, hoc est, diem septimum, non quantum ad genus, hoc est, conseruationem ministerij, & ceremoniarum: Sic etiam interdum licet omittere festos dies, propter publicas causas, aut etiam prorsus abolere, cum accedit cultus persuasio. Sed dies destinati ad hoc, ut populus certo tempore doceri possit, seruandi sunt, propter bonum ordinem, quem Paulus uult retineri in Ecclesia. 1.Cor.14

4. Vulgus abutitur libertate de sabbato, ocio & crapulæ indulgens:
Ergo libertas hæc non est proponenda populo.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia secundum non causam ut causam. Quia abusus rei non est causa idonea, cur uera & salutaris doctrina conscientijs de libertate Christiana, quam ubique Scriptura tradit, omittatur in Ecclesia, sed reprehendendi sunt abusus, & puniendi contumaces à Magistratu, & interim tamen necessaria doctrina tradenda est Ecclesiæ.

5. Ocium sabbati seuerè præceptum erat Iudæis:
Exod.16.
1.Mac.2.

Ergo

Ergo peccarunt Maccabæi pugnantes in sabbato: & Apostoli uellentes eodem die spicas. Mat 12. Mar. 2. Lucæ 6.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia opera dilectionis præferenda sunt ceremonijs. Iuxta illud: Misericordiam uolo, non sacrificium. Licet igitur omittere publica ministeria, & ceremonias, cum id necessitas & dilectio proximi requirit, modò alijs diebus ministerium publicè conseruetur.

Quid docet aut exigit prior tabula?

Quid debeamus Deo *creatori nostro.*

Quid ei debemus?

Verum timorem, fiduciam & amorem, nominis eius inuocationem & confeßionem, gratiarum actionem, ac sedulum uerbi eius studium, audiendi, discendi, & exprimendi in uitæ moribus.

Quæ est posterior tabula?

Quæ septem postrema præcepta continet.

Quæ sunt ea?



Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram.

Hoc est, Cole, ama, & iuua parentes tuos, & omnes, quibus parentes suam uicem commiserunt, ut sunt, Magistratus, concionatores, præceptores, tutores, natu maiores, & similes.

OBIECTIO DE OBEDIEN*tia erga parentes & Magistratus.*

Obediendum est parentibus ac Magistratui:

Ergo mandantibus, ut deseramus ueram doctrinam Euangelij, & ueros cultus Ecclesiæ, obtemperandum est.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia antecedens non est uniuersale. Ideo plus est in consequente, quàm antecedente. Quia antecedens loquitur de obedientia, quæ non est contra Deum. Ideo cùm parentes aut Magistratus impia iubent, Deo magis est obediendum, quàm hominibus, Actorum 5. Et rectè dictum est à Pericle Atheniense: Δεῖ μὲν συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν.

AN OBEDIENDVM IMpio Magistratui.

Multi sunt Magistratus impij, ac tyranni:

Ergo imperia sunt mala, & non est obediendum improbis.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia accidentis. Nam uitium personæ malè rei bonæ, seu ordinationi diuinæ imputatur. Ideo non magis sequitur hæc consequentia, quàm si quis ita argumentetur: Vino inebriantur homines, Ergo uinum est malum.

QVAESTIO, AN OFFICIA ciuilia sint cultus Dei.

Sunt ne cultus Dei, honos, obedientia erga Magistratus, ἐπιείκεια, seu æquitas in condonandis erratis gubernatorum, dilectio, & cætera opera ciuilia?

QVAESTIONES

CONTRA.

Cultus Dei dicendi sunt, quibus propriè Deo seruimus:

Officijs ciuilibus non propriè Deo seruimus, sed nostræ utilitati, ac necessitati:

Ergo opera ciuilia non sunt cultus Dei.

RESPONSIO.

Nego Maiorem: Quia est mala seu imperfecta definitio cultuum Dei. Quia etiam cultus Dei sunt opera secundæ tabulæ, propter mandatum Mat. 22. *Dei, qui hæc opera non minus exigit, quàm cultus prioris tabulæ. Sicut inquit Christus de altera tabula: Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Sunt igitur cultus Dei etiam opera secundæ tabulæ, cùm fiunt ut præstetur obedientia Deo in conseruanda humana societate, in qua tradatur & audiatur doctrina de cognitione ei Nam hic omnium officiorum ciuilium, defensionis ac pacis ultimus finis esse debet.*

QVINTVM.

QVINTVM.



Non occides.

Hoc est, Nullius hominis corpus seu uitam ullo modo lædas, uel cordis affectu, uel uerbis, uel factis, sed conseruabis potius, & defendes in omni periculo & necessitate.

OBIECTIO, DE HOMICIdijs, quæ prohibita.

Homicidia sunt prohibita, quia inquit lex: Non occides.

Ergo Magistratus puniens facinorosos, peccat.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia antecedens tantū

loquitur de priuata cæde, non de publica, seu legitima, quæ fit autoritate Magistratus ac legum. Nam hæc ordinatio est diuina, ut puniantur malefici, ac perturbatores humanæ societatis. Vt docet Paulus Roma. 13.

2. *Matthæi 26. inquit Christus:* Qui gladium acceperit, gladio peribit.
Magistratus accipit gladium:
Ergo gladio peribit.

RESPONSIO.

Nego Minorem: Quia accipere gladium, est non datum à legibus stringere, uel priuato affectu occidere hominem, non mandato Dei, ut Magistratus, qui est diuina ordinatio ad defensionem bonorum, & pœnam contumacium, Roma 13. Igitur non accipit gladium Magistratus, sed dato à Deo & legibus utitur legitime.

DE VINDICTA.

Vindicta est prohibita. Sicut inquit Deus: Mihi uindictam, & ego retribuam. Et Paulus: Non ulciscentes uosmetipsos.
Ergo peccat Magistratus ulciscens seu puniens latrones, adulteros, grassatores, & cæteros facinorosos.

RE-

RESPONSIO.

Nego conſequentiam: Quia maior loquitur de uindicta inordinata, ſeu priuata, quæ fit ſine autoritate Magiſtratus ſeu legum, priuato affectu, ſeu cupiditate ulciſcendi aduerſarium. Vindicta autem publica ſeu legitima, quam Magiſtratus exercet, non eſt prohibita, ſed mandata à Deo, ut tranquillitas in humana ſocietate conſeruetur.

AN OMNIS IRA PROhibita.

Chriſtus Matthęi 5. interpretans quintum præceptum, etiam iram prohibet:

Ergo peccat Dauid, cùm inquit: Perfecto odio oderam eos.

RESPONSIO.

Nego conſequentiam, quæ non ualet à particulari ad uniuerſale. Nam Chriſtus loquitur de priuata ira, non de ira uocationis, ſeu de zelo, hoc eſt, motu peculiari in ſanctis & heroicis uiris, quo inflammantur ſtudio defendendæ iuſtitiæ, aut propter gloriã Dei, aut ira aduerſus impietatem & turpitudinem. Qualis ira ſeu zelus in Dauide fuit.



Non mœchaberis.

Hoc est, Nihil impudicè cogitabis, dices, uel facies, sed in omnibus tuis dictis, factis, & gestibus, præ te feres uerecundiam, modestiam, & continentiam.

QVAESTIO DE CONIVGIO.

Estne coniugium genus uitæ placens Deo, & liberum cuilibet Christiano ad illud idoneo? *Respon.*

Quid ni? Nam cum Deus adulteria prohibet, hoc est, omnes uagos & aberrantes concubitus,

approbat

approbat è contrario coniugia, & consuetudinem coniugalem, institutam diuinitus causa procreandæ sobolis, & uitandæ scortationis.

CONTRA.

Qui in carne sunt, inquit Paulus, Deo placere non possunt. Roma.8.

Coniuges sunt, seu uiuunt in carne:

Ergo Deo placere non possunt.

RESPONSIO.

Nego *consequentiam: Quia est fallacia æquiuocationis. Nam uiuere, seu esse in carne, non significat* Paulo, *esse coniugem, seu uti coniugali consuetudine, quæ est diuina ordinatio. Sicut inquit* Paulus: *Saluatur mulier per generationem liberorum.* Et Paphnutius *rectè dixit, Castitatem esse consuetudinem coniugalem. Sed in carne esse, seu uiuere, est indulgere carnalibus concupiscentijs, seu sequi humanam rationem, contra uerbum* Dei, *& indulgere peccatis, contra testimonium conscientiæ.*

Lex tantũ prohibet adulteria cõiugũ.

Ergo nõ prohibet cæteras libidines.

RESPONSIO.

Nego *consequentiam: Quia uerbum mœchari complectitur omnes illicitas & aberrantes libidines, & concubitus extra matrimonium.* Ideo Paulus *ubiq; ferè coniungit fornicationem, adulteria, et omnem immunditiem. Vt* 1. *ad Corint.* 6. *Fornicatores*

tores & adulteri non erunt hæredes regni Dei. Et *Ephesi*.5.*Omnis fornicatio & immundities ne nominetur quidem inter uos*. Et *ad* Hebr.13.*Fornicatores & adulteros iudicabit* Deus.

SEPTIMVM.



Non furtum facies.

Hoc est, Rem *alienam neq; usurpabis inuito domino, neq; ad te malis artibus transferes.*

DE FVRTIS, ET EORVM
pœnis, obiectiones.

Furta sunt prohibita.

Exod.11. Israëlitæ aurum auferentes ab Aegyptijs

ptijs, commiserunt furtum.
Ergo peccarunt.

RESPONSIO.

Nego *minorem: Quia Israëlitæ non commiserunt furtum, sed obtemperârunt* Deo, *qui nouo et peculiari mandato iusserat spoliari* Aegyptios. Derogat *autem mandatum speciale generali, & mandatum nouum ueteri.*

Pœnæ æquales esse debent delictis.
Furta sunt bonorum corporalium abalienatio:
Ergo furta capite plecti non debent, sed restitutione ablatorum bonorum.

Respondeo *ad maiorem, per distinctionem:* Aequales *esse debent pœnæ delictis, si delicta nō sunt crebra. Sed cùm scelera crescunt, ut furta & rapinæ sunt crebræ apud* Germanos, *etiam pœnæ exacerbandæ sunt, ut exempla alios deterreant.*

QVAESTIO, AN LICEAT
tenere proprium.

Licetne proprium tenere Christianis, & esse diuites? Respon.

Etiam. *Quia cùm lex prohibet furta, concedit distinctionem ac proprietatem bonorum.* Et Paulus *ait:* Præcipe *diuitibus, ne superbiant, sed sint diuites beneficiendo.* Concedit *igitur diuitias, & regula certa est:* Euangelium *non abolet politicas ordinationes.* 1. Tim. 6.

CON-

CONTRA.

Primitiua Ecclesia omnia habuit cõmunia Acto.4.

Ergo & nunc omnia in commune cõferri debent.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est dißimilitudo. Nam in primitiua Ecclesia opus fuit collatione bonorum, ad alendos pauperes, & ad tempus hæc consuetudo tantùm durauit. Et Petrus in Actis cap.5 Liberum inquit Ananiæ fuisse retinere agrum suum. Ergo communio bonorum non præcipitur, nec consulitur in Euangelio, sed liberalis tantùm collatio facultatum, ad iuuandam Ecclesiam, & pauperes.

ALIVD, AN LICEAT *esse diuitem.*

Diuitiæ impediunt pietatem. Vnde Christus eas spinas uocat, Lucæ 8. Et alibi inquit, difficile esse diuites saluari. *Matt.19.*

Ergo diuitię malæ sunt & abijciendę.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia accidentis. Nã diuitiæ per se bonæ sunt creaturæ Dei, utiles ad hanc uitam, ut cibus & potus. Sed abusus malus est, qui proficiscitur à uoluntate hominis abutentis opibus ad luxum, & inutiles profusiones.

OCTAVVM.

OCTAVVM.



Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Hoc est, Nihil falsi testaberis aut dices, quod proximi existimationi aut famæ derogare ullo modo poßit, sed potius innocentiam eius ubiq; excusabis & defendes apud omnes.

OBIECTIO. DE IVDICIIS.

Christus inquit Matthæi 6. Nolite iudicare, ne iudicemini.

Ergo peccant iudices, concionatores, & alij, qui manifesta & publica uitia reprehendunt. RE-

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Christus tantum prohibet priuata maledicta, non prohibet officium iudicum, aut concionatorum, qui ideo alios reprehendunt & accusant, ut illi qui accusantur, emendentur, uel consulatur alijs.

DE MENDACIO TRIPLICI.

Mendacium seu simulatio est peccatum contra octauum præceptum.

Gene.20. Abraham dissimulauit Saram esse cõiugem suam, & uocat eam sororem:

Ergo peccauit contra octauum præceptum.

Respondeo ad maiorem, per distinctionem. Nã sunt tria genera mendaciorum.

Primum genus est perniciosorum, quæ fiunt iniusta uoluntate nocendi. Hæc mendacia tantum prohibita sunt.

Secundum genus est officiosorum, cum propter honestam & iustam causam aliquid occultatur, aut etiam figuratè aliud dicitur & ostenditur. Tale mendacium fuit Abrahæ, obstetricũm Aegyptiarum, Dauidis simulantis morbum, & quorundam aliorum sanctorum simulatio.

Exod.1.
1.Reg.21

Tertium est iocosorum, ut sunt poëmata, Apologi, & salsè dicta: hæc duo genera mendaciorũ non sunt prohibita, sed ea tantum, quæ dicuntur uel uoluntate nocendi, uel ex uanitate ingenij.

NONVM.

NONVM.



Non concupisces domum proximi tui.

Hoc est, Non eris cupidus alieni, sed tua sorte contentus uiues.

OBIECTIO DE CONcupiscentia.

Propter ea quæ natura adsunt, neque laudamur, neq; uituperamur.

Concupiscentia natura omnibus adest.

Ergo concupiscentia res est media, propter quam nec laudamur, nec

uituperamur: & per consequens, concupiscentia non est peccatum, hoc est, res digna æterna morte, nisi accedat consensus.

RESPONSIO.

Nego antecedens, quod uerum non est. Quia tota natura est corrupta propter lapsum Adæ, quæ integra quidem condita fuit à Deo. *sed accessit iam ingens corruptio omnium uirium naturalium, uidelicet ignoratio* Dei, *dubitatio de prouidentia* Dei, *contemptus iudicij* Dei, *& multæ aliæ prauæ inclinationes, quæ sua natura peccatum sunt, hoc est, res digna æterna morte, sed condonantur credentibus propter Christum. Sicut inquit* Paulus *ad* Romanos 7. *Sensus carnis inimicitia est aduersus* Deum, *legi enim* Dei *nec subijcitur, nec subijci potest.* Et *ad* Romanos 8. *Nulla nunc est cõdemnatio ijs, qui insiti sunt* Chri*sto* Iesu.

2. Peccatum aut est dictum aut factum contra legem Dei.

Concupiscentia non est dictum aut factum, sed inclinatio hærens in natura.

Ergo concupiscentia non est peccatum.

RESPONSIO.

Nego Maiorem. *Quia est mala definitio peccati,*

cati, aut insufficiens enumeratio partium. Nam peccatum non tantum significat factum aut dictum, contra legem Dei, sed significat perpetuum uitium, hoc est, corruptionem naturæ pugnantem cum lege, & facta pugnantia cum lege Dei, quæ fructus sunt peccati originis.

Peccatum non est peccatum, nisi sit uoluntarium. 3.

Concupiscentia non est uoluntaria, nisi consensus accedat, qui hæret in natura humana propter alienũ peccatum, scilicet Adæ:

Ergo concupiscentia non est peccatum, sed tantùm pœna peccati & imputatio seu reatus, ut Scholastici doctores loquuntur.

Respondeo ad maiorem, per distinctionem: Peccatum non est peccatum, nisi sit uoluntarium, in ciuilibus actionibus. Sed concupiscentia etiam est peccatum, hoc est, res rea, & damnata à Deo: quia est morbus seu corruptio totius naturæ, & auersio à Deo, quæ displicet Deo: quia causa est, cur legi non perfecte satisfacimus. Condonatur tamen hæc corruptio propter Christum mediatorem, etiam in infantibus, cum per Baptismum aut preces Ecclesiæ offeruntur Deo.

DECIMVM.

Non desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

His potißimum duobus præceptis, Deus non solùm externa peccata contra legem prohibet, sed etiam concupiscentiam ipsam, seu uitiosos affectus hærentes in natura humana: & horum omnium causam, peccatum originis accusat & damnat, ut omnes homines conuincantur legis esse transgressores, ac rei æternæ mortis.

Quid docet aut exigit posterior tabula?

Quid debeamus proximo nostro.

Quid ei debemus?

Dilectionem, quæ fructus est fidei.

Dic summam præceptorum Decalogi, siue legis.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Matthæi 22.

Hoc est, Diliges & timebis ex animo Deum, eique confides super omnia, & proximum tuum iuuabis in omnibus rebus, quibus tua ope indiget.

Quid Deus promittit ijs, qui faciunt opera Decalogi, siue legis: & quid comminatur ijs, qui ea non faciunt?

Hoc continetur in his uerbis Deuteronomij quinto:

Ego ſum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem his, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in multa milia diligentibus me, & cuſtodientibus pręcepta mea.

Hoc eſt, Deus puniet æternis & temporalibus pœnis tranſgreſſores ſuæ legis, etiam ipſos poſteros in hac uita, ſi parentibus in peccatis fuerint ſimiles: contrà, obedientibus beneficiet, & in præſenti uita, & futura, Iuxta hoc Pauli, 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia utilis eſt, promiſsionem habens & uitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Et ſicut ipſe Chriſtus ait: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Mat. 19.

Quis eſt uſus Decalogi, ſiue legis?

Is triplex eſt.

Quis eſt primus?

Vt coërceat iniuſtos & impios, ne ſecurè in omnia ſcelera ruant.

Quis eſt ſecundus?

Vt oſtendat nobis peccata, iram & iudicium Dei, ſeu pœnam aduerſus peccata, ut ijs agnitis, confugiamus ad Chriſtum, qui pro nobis legem Dei impleuit.

Quis eſt tertius?

Vt doceat iustificatos, quæ facere debeant bona opera, ut in nouitate uitæ ambulent. Vult enim omnino Deus, ut homines legi suæ obediant, & bona opera præstent. Sunt aūt ea solū uerè bona opera, quæ in Decalogo seu lege sua Deus requirit.

Possunt ne igitur homines satisfacere legi Dei, suis operibus?

Non.

Cur non possunt?

Quia lex Dei spiritualis est, & perfectam requirit a nobis obedientiam, interiorem & exteriorem, quam nemo hominum, sine spiritu sancto, suis uiribus præstare potest, propter corruptionem humanæ naturæ.

Nunquid ergo damnabuntur omnes homines, cùm nemo eorum legi satisfaciat, & uelit tamen Deus, ut eam impleant, & æternam damnationem minetur inobedientibus?

Vtiq; damnarentur omnes, nisi misericors Deus suum Filium Iesum Christum in mundum misisset, isq; uictima pro peccatis nostris fuisset factus, & reconciliasset nos Patri suo, ineffabili Dei bonitate, clementia, & amore erga genus humanum. Quicunq; igitur iam in Christum Filium Dei, pro nobis factum hominem, mortuum & resuscitatum, uerè credunt, his peccata non imputantur

putantur à Deo ad damnationem (modò ijs non indulgeant contra conscientiam) sed reputantur iusti & sancti gratis propter Christum, per fidem. De quo in secunda parte Catechismi traditur.

OBIECTIO IN SVMMAM Decalogi.

DE DILECTIONE.

Quicquid implet legem, iustificat, seu acceptos nos reddit Deo.
Dilectio implet legem. Inquit enim Paulus: Dilectio legis est impletio: Roma. 13
Ergo dilectione sumus iusti, hoc est, accepti Deo.

RESPONSIO.

Nego consequentiam : Quia est ambiguitas, seu sunt quatuor termini in Syllogismo. Nam minor & dictum Pauli loquuntur de Idea, seu de perfecta dilectione, quæ implet legem, seu est impletio legis : sed hinc malè colligitur, homines diligere perfectè Deum, seu implere legem. Quia nemo satisfacit legi, propter corruptionem naturæ. Vnde inquit Paulus Gala. 3. Si lex data esset, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatũ, ut promissio ex fide I. su Christi daretur credentibus.

Proba ex dicto Moysi & Christi, *de perfecta dilectione, hominem non esse iustum lege.*

Lex requirit perfectam obedientiam seu dilectionem.

Nemo præstat perfectam obedientiam, seu perfectè diligit Deum, & proximum sicut seipsum.

Ergo nemo iustus est lege, sed fide, qua apprehendimus Christum mediatorem.

CONTRA.

Matt. 19. Christus inquit de lege: Hoc fac, & uiues:

Ergo uita est ex lege.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia dictum Christi est conditionale, si hoc feceris, uiues. Sed nemo in hac corruptione naturæ perfectè implet legem. Ergo opus est gratuita condonatione propter mediatorem, quæ fide accipienda est.

In locum Deuteronomij 5. de præ*mijs & pœnis præceptorum* Decalogi.

Deus promittit præmia seruantibus legem, & comminatur pœnas inobedientibus.

Ergo bona opera merentur uitam æternam,

ternam, & peccata ęternam damnationem.

RESPONSIO.

Nego primùm consequentiam: Quia plus est in consequente, quàm in antecedente. Antecedens enim loquitur non de uita æterna, sed de alijs præmijs corporalibus & spiritualibus, quibus ornatur à Deo in hac uita inchoata obedientia erga legem. Deinde respondeo ad antecedens, per distinctionem: Deus promittit præmia corporalia & æterna ex gratia, inchoantibus nouam obedientiam, sed quia hæc est imperfecta, non est digna uita æterna, quæ, ut inquit Paulus, est donum Dei. Et Augustinus inquit: Deus cùm reddit præmia nobis, non nostra merita, sed sua dona in nobis coronat.

OBIECTIO DE PRAEMIIS.

Nemo perfectè diligit Deum, aut præcepta eius seruat:
Ergo nemo consequitur hanc promissionem Dei de præmijs.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Deus reputat inchoatam obedientiam seu impletionem legis pró iustitia, & placet in iustificatis fide hæc obedientia propter Christum.

AN FILIVS PORTET INIquitatem patris.

Inquit Ezechiel capite 18. Non portabit filius iniquitatem patris sui. Item, Anima quæ peccat, ipsa morietur.

Ergo hæc comminatio de puniendis filijs propter iniquitatem patrum, est contraria Ezechielis dicto.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia non est pugnantia. Nam Ezechiel loquitur de filijs, qui non imitantur parentum seu maiorum peccata, hoc est, idolatriam & impietatem: Comminatio hæc loquitur de ijs filijs, qui imitatores sunt maiorum in peccatis. Nam hi tam punientur, quàm ipsi maiores, seu patres puniti sunt propter propria peccata.

CONTRA.

Si filius non portat peccatum patris, Ergo posteritas Adæ non est rea propter ipsius lapsum.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est dißimilitudo Roma. 5. *in exemplo. Quia ab Adam propagatur corrupta natura in omnes, qualis natura ipsius Adam fuit post lapsum. Ideo omnes rei sunt propter innatum malum. Sed Ezechiel loquitur de peccatis actualibus, seu cuiusq; proprijs, quæ ipsis autoribus imputantur.*

DE

DE SECVNDA PARTE CATECHISMI,

DE SYMBOLO APOSTOLICO, seu fide Christiana.

Quæ est secunda pars Catechismi?

Symbolum Apostolicum, seu Christiana fides.

Quid est Symbolum Apostolicum?

Est summa eorum, quæ hominem Christianum ad consequendam æternam salutem scire & credere de Deo necesse est.

Quid est Christiana fides?

Est firma fiducia, qua statuimus Deum nobis esse propitium, propter filium suum, remittere nobis peccata, & daturum credentibus uitam æternam, gratis, sine nostris meritis.

QVAESTIO, SIT NE fides fiducia.

Estne fides iustificans coram Deo, notitia historiæ, an uera fiducia misericordiæ promissæ à Deo propter Christum mediatorem?

RESPONSIO.

Fides iustificans coram Deo, non tantùm est notitia historiæ, sed est certa fiducia seu motus

uoluntatis.

uoluntatis, statuens nos esse iustos, hoc est, acceptos Deo gratis propter Christum, iuxta datam promissionem.

CONTRA.

Fides Christiana est articulorum seu historiæ de Deo & Christo, eiusq; meritis breuis collectio, quam Symbolum Apostolicum uocamus.

Ergo fides non est fiducia, sed notitia historiæ.

Respondeo ad antecedens, per distinctionem: Paulus & tota scriptura cum agunt de fide, qua sumus iusti, hoc est, accepti Deo, non loquuntur de notitia historiæ, sed de ea fide, quæ acquiescit in Christo, statuens nos propter hunc mediatorem esse iustos, hoc est, acceptos Deo. Etsi enim notitia historiæ requiratur, non tamen hac notitia sumus iusti, quam etiam dæmones habent, sed hac fide intuente mediatorem, et statuente nos propter Roma.3. *ipsum esse iustos. Sicut inquit Paulus: Arbitramur hominem iustificari fide, absq; operibus legis, hoc est, esse iustum, id est, acceptum Deo, cum fide intuetur mediatorem, etiamsi legi non satisfaciat.*

Proba fidem in hoc dicto Pauli, & *similibus, significare non notitiam historiæ, sed fiduciam promissæ misericordiæ.*

A PROPRIO OFFICIO FIDEI.

Pro-

Promissioni de gratia Dei, seu remissione peccatorum, est assentiendũ, iuxta illud Ioannis 1. Qui non credit Deo, mendacem eum facit. 1.

Fides apprehendit promissionẽ gratiæ: Est enim correlatiuum promissionis. Iuxta illud ad Roma. 4. Ideo ex fide datur hæreditas, ut certa sit promissio.

Ergo fides significat assensum seu fiduciã amplectentem promissionẽ.

AB EFFECTV DIVERSO NO*titiæ historiæ, & fidei.*

Notitia historiæ affert pauores, & auget desperationem diabolis, de quibus inquit Iacobus: Dæmones credunt, & contremiscunt. Sed fides adfert pacem & consolationem, Roma. 5. Iustificati fide pacem habemus. 2. Iaco. 2.

Ergo fides iustificans non est tantùm notitia historiæ, sed fiducia, qua statuimus certò nobis ignosci gratis propter Christum, quanquam malè meritis & indignis.

AB EFFECTV FIDEI IN TER*roribus peccati & mortis.*

Iustus ex fide sua uiuet. *Abacuc* 2. 3.

Ergo

Ergo fides eſt fiducia, quæ ſtatuit Deum nobis eſſe propitium, & acquieſcit in promiſſa miſericordia: non eſt tantùm notitia hiſtoriæ, quæ auget cruciatus & deſperationē, cùm ex morte filij Dei agnoſcimus magnitudinem peccati.

IN INVOCATIONE.

4. Fiducia eſt accedendum ad Deum. *Hebræ.* 4. Habentes talem pontificem, accedamus cum fiducia ad thronū gratiæ.

Per fidem accedimus ad Deum. *Ephe.* 4. Per quem audemus accedere confidenter per fidem eius. *Roma.* 5. Per quem habemus acceſſum fide.

Ergo fides ſignificat fiduciam, non notitiam hiſtoriæ, quæ ſine Chriſto duce & propitiatore deterret nos à Deo.

IN SANCTIFICATIONE.

5. Fides purificat corda. *Actorum* 15.

Ergo fides eſt fiducia ſtatuens nos per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti purgari a peccatis, & ſaluari.

AB AVTORITATE SEV *pronunciatis.*

6. Chriſtus requirit & prædicat fiduciam

am suæ misericordiæ, cùm inquit: O mulier, magna est fides tua Item Fides tua te saluam fecit. Item, Con fide fili, remittuntur tibi peccata. & similibus dictis.

Ergo fides non significat tantùm notitiam historiæ, sed fiduciam misericordiæ promissæ à Deo propter Christum mediatorem.

OBIECTIO, DE DVbitatione.

Dubitandum est de remissione peccatorum, seu de gratia Dei. Quia inquit Ecclesiastes: Nescit homo utrũ sit dignus amore Dei, an odio.

Ergo fides non significat fiduciam.

RESPONSIO.

Nego antecedens: Quia dubitatio est peccatum. Sicut inquit Ioan Qui non credit, Deum mendacem facit. Et ideo edita est promißio de gratuita remißione peccatorum, ut ei assentiamur. Sicut inquit Paulus: Ideo ex fide, ut firma sit promißio, & mandatum Dei est æternum & immutabile, ut credamus in filium Dei. Et peccatũ est incredulitas, quod spiritus sanctus arguit & damnat, Ioan. 16. Loquitur autẽ Ecclesiastes non de uoluntate Dei erga nos reuelata in uerbo, quæ cognita & certa nobis esse debet, sed de iudicio

humano

humano, an successus seu euentus negotiorum sint futuri felices.

QVAESTIO, AN SOLA fides iustificet.

Iustificat ne sola fides in Christum, quæ fiducia est promissæ misericordiæ?

Etiam, coram Deo.

Quibus id argumentis probatur?

1. Ab autoritate scripturæ, Rom. 3. Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei. Iustificamur autem gratis ipsius gratia, per redemptionem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius.

2. Ab exemplo Abrahæ, Roma. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

3. A definitione iustitiæ. Remissio peccatorum est imputatio iustitiæ, quæ accipienda est fide. Psalm. 32. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & tecta peccata. Beatus uir, cui Dominus non imputauit peccatum.

4. A causa promissionis. Promissio debet esse certa, Roman. 4. Ideo ex fide, ut certa sit promissio. Ergo reconciliatio non pendet ex conditione legis, tanquam causa, sed ex fide. Nam si reconciliatio penderet ex conditione legis, incerta esset promissio, quia legi non satisfacimus.

5. Ab effectu fidei. Fides reddit pacatas conscientias, Roma. 5. Iustificati fide pacem habemus:

&

& purificat corda. Actorum 5. Ergo ex fide est iustificatio, non ex operibus, quæ conscientias non pacant, quia imperfecta est obedientia. Item, fides adfert uitam seu consolationem. Abacuc 2. Iustus ex fide sua uiuet. Ergo fides iustificat, non lex, seu opera.

6. A *discrimine promissionum legis & Euangelij. Oportet promissionem de reconciliatione esse certam.*

Promissiones legis sunt incertæ, quia pendent ex conditione implendæ legis, cui nemo satisfacit.

Ergo remissio peccatorum non est ex lege, sed ex fide, quæ statuit gratis remitti peccata propter mediatorem Christum.

PRAECIPVA ET VSITATIORA *Argumenta, quæ contra doctrinam de iustitia fidei opponi solent ab aduersarijs.*

Iacobus inquit: Videtis igitur, quòd homo non tantùm iustificatur fide, sed etiam operibus. 1.

Ergo non sola fides iustificat, sed etiam opera, seu, ut Scholastici loquuntur, fides formata, hoc est, opa seu uirtutes nostræ.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Iacobus loquitur de fide, quæ est notitia historiæ. Paulus uerò de

fide, quæ fiducia est misericordiæ Dei promissæ propter Christum. Ideo autem tribuitur fidei iustificatio, ut Christo tribuatur suus honor. Deinde, ut certa sit remißio peccatorum, de qua semper dubitandum esset, si penderet ex conditione nostrarum qualitatum seu uirtutum, quæ legi nō satisfaciunt.

2. Notitia non iustificat.
Fides est notitia:
Ergo fides non iustificat.

RESPONSIO.

Nego Minorem. Nam fides in disputatione Pauli de iustitia fidei, non significat tantùm notitiā, sed fiduciam seu assensum amplectentem promissam misericordiam. Sicut inquit Christus: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

3. Dilectio implet legem.
Ergo non fides, sed dilectio iustificat.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia antecedens loquitur de Idea, siue perfecta dilectione, qualem lex præcipit, sed dilectio quam etiam sancti præstant, est imperfecta. Ergo dilectio non iustificat, sed fides, quæ aprrehendit gratuitam remißionem. Nō ualet autem consequentia ab Idea ad actum.

4. Fides est opus.
Fides iustificat:
Ergo opera iustificant.

RE-

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia à particulari ad uniuersale nihil sequitur: nec fides iustificat, quia est in nobis qualitas digna remißione peccatorū, & uita æterna, sed quia apprehendit alienam iustitiam, hoc est, Christi mediatoris, quæ est extra nos, sed fide nobis applicatur.

Deus iustificat: 5.
Ergo non fides.

Respondeo per distinctionem: Deus iustificat imputans seu communicans nobiscum iustitiam sui filij. Fides apprehendit hanc gratuitam Dei imputationem, seu oblatam iustitiam propter Christum.

Maxima uirtus iustificat. 6.
Dilectio est maxima uirtus, non fides, *1. Corinth. 13.*
Ergo dilectio iustificat, & non fides.

Respondeo ad Minorem, per distinctionem: Dilectio est maxima uirtus coram hominibus, quia pluribus beneficit. Sed fides est præcipua uirtus, seu cultus, qua cum Deo agimus. Nam fides apprehendit promissam misericordiam Dei, & agnoscit Deum esse ueracem. Contrà incredulitas Deum mendacij arguit, quod summum est peccatum. Sicut inquit Ioannes: Qui non credit, Deum mendacem facit. 1. Ioan. 5.

7. Requiritur in iustificatione etiam regeneratio seu renouatio, seu pœnitentia.

Ergo non sola fides iustificat, nec gratuita est imputatio remissionis peccatorum.

Respondeo per distinctionem: Requiritur regeneratio tanquam effectus, seu fructus sequentes iustificationem. Iustificationis autem causa est fides apprehendens tanquam organum gratis remißionem peccatorum propter Christum, ut certa sit promißio. Vt Paulus inquit Roma. 4. Est igitur persona iusta, hoc est, accepta, non propter regenerationem, seu uirtutes, quæ sunt perfectæ, sed propter Christum mediatorem, cuius merita fide tanquam organo quodam homo sibi applicat.

OBIECTIO.

Fides sola iustificat:

Ergo non sunt facienda bona opera.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia fides sola iustificat, tanquam causa applicans nobis beneficium remißionis peccatorum gratuitæ. Non manet autem fides sola, sed ut bona arbor bonos fructus profert, sicut inquit Paulus: Fides per charitatem est efficax, Gala. 5. Ideo autem tribuitur fidei iustificatio, quia accipit gratuitam imputationem

nem iustitiæ, non quia est in nobis uirtus seu qualitas digna tanto beneficio, uidelicet uita æterna.

Iustitia est obedientia erga totam legem. 8.

Fides non est obedientia erga totam legem.

Ergo fides non est iustitia, seu non iustificat.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia quatuor sunt in Syllogismo termini. Nam amphibologia est in nomine iustitia, quæ in maiore significat ciuilem obedientiam erga omnes leges, quam Aristoteles uniuersalem uocat: sed fides ideo dicitur esse iustitia, uel iustificare, quòd apprehendit promissam misericordiam gratis, & summum honorem tribuit Deo, scilicet ueritatem & misericordiam. Et comitatur postea ipsam apprehensionem etiam inchoata obedientia erga omnes leges. Sed quia hæc obedientia nondum consummata est in nobis, ideo ut certum sit beneficium filij Dei, fidei tribuitur iustificatio, non operibus, Roma. 4.

Beatitudo est uita æterna.

Christus beatos pronunciat mites, misericordes, pacificos &c. Matth. 5. 9.

Ergo hæc opera merentur uitam æternam.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia plus est in conclusione, quàm in præmißis. Nam beatitudo non significat hîc uitam æternam, sed felicitatem, augmentum donorum, defensionem uitæ, & alia bona corporalia & spiritualia. Deinde est intelligenda Synecdoche in omnibus dictis, quæ loquuntur de bonis operibus, qua fides comprehenditur, Iuxta illud: Sine fide impoßibile est placere Deo. Tertiò, uita æterna uocatur præmium seu merces, non quia opera sint digna uita æterna, sed quia uita æterna compensat obedientiam, sicut hæreditas compensatio est officiorum filij, non meritum.

OBIECTIO CONTRA *secundam solutionem.*

Si per Synecdochen intelligenda est fides in dictis de bonis operibus:

Ergo etiam in dictis de gratuita remissione, quæ fit fide, intelligenda sunt bona opera: *& per consequens, non sola fides iustificat, sed etiam opera.*

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est dißimilitudo. Nam expressa est particula exclusiua Gratis, in Paulo. Vt: Ideo gratis datur hæreditas, ut firma sit promißio. Excluduntur autem bona opera à iustificatione tanquam causa, non tanquam effectus.

ctus. Quia sequi in iustificatis nouam obedientiã necesse est.

QVID GRATIA.

Gratia sumus iusti.

Gratia sunt dilectio, & cæteræ uirtutes spiritus sancti infusæ cordi.

Ergo dilectione, & cæteris uirtutibus infusis sumus iusti.

RESPONSIO.

Nego *Minorem*: *Quia est mala definitio gratiæ, quæ in propositione,* Gratia *Dei iustificamur, significat acceptationem Dei, seu gratuitam imputationem iustitiæ propter mediatorem, quæ fide est accipienda gratis, ut sit certa,* Ad Rom. 4.

QVID IVSTIFICARE.

Iustificare est iustum reddere, hoc est, donare iustitia, quæ uniuersalis est obedientia erga totam legem.

Fides non reddit ita iustũ hominem, quia est fiducia promissæ misericordiæ.

Ergo fides non iustificat.

RESPONSIO.

Nego M*aiorem*. *Quia iustificare in disputatione* Pauli, *significat iustũ reputare, seu pronunciare.* Vt *cum dicimus*: Iudex *iustificauit reum, id est, absoluit & iustum pronunciauit.* Item, Publi*canus descendit iustificatus de templo, id est, acce*

ptus & reconciliatus Deo, remißis peccatis. Sunt igitur quatuor termini Syllogismi, quos parit ambiguitas. Sic iustificatio significat imputationem iustitiæ gratuitam propter Christum, hoc est, reconciliationem et acceptionem personæ ad uitam æternam.

OBIECTIO DE IVSTItia Dei.

Iustitia est, punire delicta, non imputare iustitiam gratis.
Deus est iustus:
Ergo non tantùm imputat iustitiam, sed etiam punit peccata, non gratis remittit culpam & pœnam.

RESPONSIO.


Maior est uera de humanis iudicijs, sed Deus gratis remittit peccata fide propter filium, cuius mors est compensatio pro peccatis. Etsi igitur Deus odit & damnat peccatum, tamen intuens filium remittit gratis peccatum illis, qui uestimento filij Dei sunt induti.

Quomodo diuiditur Symbolum Apostolicum?

In tres partes.

Quæ est prima pars?

Credo



Credo in Deum, patrem omnipoten tem, creatorem cœli & terræ.

Hoc eſt, Credo *eſſe unum* Deum, *qui me, & omnes creaturas creauit ex nihilo, per ſuum uerbum, & eadem adhuc ſuſtentat & gubernat, in quem ſolum fiduciam meam, & ſpem omnem colloco, quòd uelit me, iuxta ſuam paternam promiſſionem, exaudire, defendere, & largiri mihi omnia, quibus ad hanc uitam ſuſtentandam opus habeo, & deniq; daturum eſſe mihi uitam æternam, propter ſuum filium.*

OBIECTIO.

Credendum eſt in unum Deum, crea-

torem cœli & terrę. Sicut dicit Deutero. 6. Audi Israel, Deus tuus Dominus unus est.

Christiani non credunt in unum Deum, quia credunt in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

Ergo Christiana fides seu religio nō est uera.

RESPONSIO.

Nego Minorem: *Quia Christiani credunt in unum uerum & æternum* Deum, *qui est* Pater, Fi*lius, & Spiritus sanctus. Nam ita se unus & æternus* Deus *patefecit in uerbo suo, uidelicet unum in essentia, trinum in personis, quæ unam eandemq; essentiam diuinam habent, seu (ut Synodus* Nice*na uocat)* ὁμοούσιοι *sunt. Distinguuntur autem hoc modo personæ:* Pater *est persona gignens ab æterno* λόγον, *hoc est, uerbum seipsum intuens seu cogitans.* Filius *est persona genita à* Patre, *qui* λόγος *seu uerbum* Patris *dicitur,* Ioannis 1. Chara*cter substantiæ patris,* Hebr*æ.* 1. Imago Dei *patris,* Colossen. 1. H*æc persona in plenitudine temporis, iuxta decretum* Dei, *humanam naturam assumpsit è uirgine* M*aria, ut uictima fieret pro humano genere. Spiritus sanctus est persona ab æterno procedens à* Patre *&* Filio, *quæ mittitur ab utroq;, &* Patre *&* Filio, *in corda hominum, ut ea sanctificet & illustret uera notitia*

Dei,

Dei, consoletur & gubernet. Vnde Christus eum Ioan. 14.
Paracletum seu Aduocatum, & consolatorem uo 15. 16.
cat. Et attribuitur cuilibet personæ proprium officium, seu opus. Patri creatio, quæ tamen cæteris personis communis. Vt Ioan. 1. & Psal. 32. Filio tribuitur redemptio, Spiritui sancto sanctificatio.

OBIECTIO DE FIDE IV-
dæorum & Turcarum.

Iudæi & Turcæ credunt in unum Deum, creatorem cœli & terræ.

Ergo in uerum Deum credunt, & saluantur.

RESPONSIO.

Nego *antecedens. Quia Deus extra Christum, quem Iudæi & Turcæ negant esse filium Dei, non uerè agnoscitur aut colitur. Sicut inquit Christus*: Nemo *uenit ad patrem, nisi per me.* Ioan. 14.

CONTRA.

ALIA, DE FIDE PIORVM
Veteris testamenti.

Sancti Veteris testamenti crediderunt in Deum conditorem rerum, sine Christo mediatore:

Ergo etiam fides Iudæorum & Turcarum uera est.

RESPONSIO.

Nego *antecedens. Quia sancti ueteris testamen*

ti crediderunt in eum Deum, qui ipsis Meßiam promisit, quem agnouerunt esse filium Dei, habentem diuinam potentiam, quia Diaboli regnum erat uastaturus, Gene. 3. Et in eo benedicendæ erāt omnes gentes, Gene. 22. Crediderunt igitur in uenturum Meßiam sicut nos in exhibitum credimus. Sicut inquit Christus: Abraham uidit diem meū, & gauisus est. Ioan. 8.

DE CREATIONE RERVM, ET perpetua earundem conseruatione ac sustentatione.

QVAESTIO, AN CONDITA omnia ex nihilo.

Creauitne Deus omnia ex nihilo?

Respon. Etiam, per uerbum suum, seu λόγον, hoc est, filium coæternum, Gene. 1. & Psalmo 32. Verbo Domini firmati sunt cœli. Ipse dixit, & facta sunt. Ipse mandauit, & creata sunt. Et Ioan. 1. Omnia per ipsum (λόγον) facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

CONTRA.

Ex nihilo nihil fit.

Ergo ex nihilo non potuit condi mundus.

RESPONSIO.

Antecedens loquitur de operibus humanis & physicis, quæ materiam præexistentem requirunt.

Sed

Sed Deus etiam ex nihilo, hoc est, nulla praeexistente materia, aliquid condere potest. Sicut inquit Paulus, Rom. 4. Deus uocat ea quae non sunt, ut sint aliquid.

QVAESTIO, DE GVBERNAtione & sustentatione rerum.

Adest ne Deus adhuc creaturis, easq́ conseruat & sustentat? *Respon.*

Etiam. Quia inquit Paulus Actorum 17. In ipso (Deo) uiuimus, mouemur & sumus. Et ad Hebraeos 1. Ferens omnia uerbo potentiae suae. Et Coloss. 1. Omnia per eum consistunt.

CONTRA.

Malis plerunq; bene est, & contrà bonis malè:

Ergo Deus non habet curam creaturarum, sed ab eis, tanquam faber à naue extructa, discessit, relinquens creaturas propriae gubernationi: aut omnia fiunt casu, aut Deus alligatus est causis, ut uocant, secundis.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia multa testimonia scripturae diuersum docent, & mens humana notitijs naturalibus conuincitur, esse Deũ non solum con-

conditorem rerum, sed etiã moderatorem & conseruatorem. Nec Deus alligatus est causis secũdis, quia est agens liberrimum, adiuuans, & impediens causas secundas pro sua uoluntate. Sicut dicit Psalm. 99. Scitote quòd Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Et Psalmo 126. Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborat qui ædificat eam. Quòd autem interdum bonis malè, & malis bene est, id fit singulari Dei permißione & consilio, qui uult Ecclesiam in hac uita subiectam esse cruci, ut agnoscat iram Dei aduersus peccatum, crescat in ea fides, & accendatur inuocatio.

Inquit Moyses Genesis 2. Requieuit Deus die septimo, hoc est, sabbato, ab omni opere:

Ergo Deus, ut fingunt Epicurei, ociosus est, non gubernat ac sustentat creaturas.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Nam Deus quieuit tantùm ab opere conditionis, quia nullas alias species creauit, aut plures mundos, non quieuit ab opere conseruationis, quod perpetuum

tuum

tuum & quotidianum eſt. Quia Deus conſeruat adhuc res conditas, & defendit Eccleſiam, iuxta illud dictum Chriſti: Pater meus uſq; modò operatur, & ego operor. Et Paulus inquit: In ipſo (Deo) ſumus, mouemur, & uiuimus. Conſeruatio naturæ uocatur actio Dei generalis, Eccleſiæ defenſio actio ſpecialis.

OBIECTIO DE CAVSA PECcati, quæ non eſt Deus, ſed uoluntas Diaboli & hominis, auertentiũ ſe liberè à Deo.

Deus creauit omnia:
Ergo etiam peccatum creauit, & eius eſt cauſa.

Reſpondeo ad antecedens, per diſtinctionem: Creauit Deus omnia, quæ condita ſunt. Sicut inquit Ioannes: Per ipſum facta ſunt omnia, quæ facta ſunt. Peccatum autem non eſt conditum à Deo, ſed eſt horribilis perturbatio ordinis diuini in natura, quam Deus maximè abominatur. Sicut inquit Pſalmus: Deus non uolens iniquitatem tu es. Loquitur igitur antecedens tantùm de rebus bonis. Sicut Moyſes: Vidit Deus, quòd omnia quæ creaſſet, ualde eſſent bona, hoc eſt, utilia homini, & congruentia ad diuinam mentem ſeu uoluntatem.

Ioan. 1.

Pſalm. 5.

Quæ eſt ſecunda pars?



Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominũ nostrum, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna, Tertia die resurrexit à mortuis, Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Hoc est, Credo filium Dei *æternum ex ineffabili misericordia & amore erga perditum humanum genus, factum esse hominem absq; peccato, & seipsum obtulisse hostiam* Deo *in cruce pro*

peccatis nostris, aboleuisse mortem, uicisse Diabolum, eiusq́; regnum, peccati & mortis deuastasse, & nostrum esse unicum propitiatorem & mediatorem, propter quem fide apprehensum, Deus nobis sit placatus, nos recipiat & saluet, sine nostris meritis.

DE CHRISTO SEV ΛΟΓΩ, SIT *ne Deus & persona, Quæstio.*

Estne Christus seu λόγος Deus?

Est. Quia Ioannes expressè uocat Deum, ca. 1. *In principio erat uerbum, Et uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Vbi Græcus articulus ὁ, qui nunquam prædicato additur, testatur uerbum seu λόγον collocandum esse loco subiecti, hoc modo: καὶ ὁ λόγος ἦν θεός, Et uerbum seu λόγος erat Deus, hoc est, diuina essentia.*

CONTRA.

Vnus est tantùm Deus. Exod. 6.
Ergo Christus seu λόγος non est Deus.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia etsi una est diuina essentia, tamen tres sunt personæ diuinitatis coæternæ, & ὁμοούσιοι, hoc est, eiusdem essentiæ, quemadmodum ipse Deus se in uerbo suo Ecclesiæ patefecit. Est igitur Christus seu λόγος uerus & æternus Deus cum patre, distincta a patre & spiritu sancto persona, æquè omnipotens, intelli-

gens, indiuidua & incommunicabilis, non sustentata ab alia natura, quod etiam formula Baptismi testatur, in qua omnibus personis eadē potentia, & idem honor tribuitur.

CONTRA.

Verbum seu λόγος dicitur, quia cogitatione à patre gignitur.

Cogitatio est qualitas, seu motus transiens.

Ergo uerbum seu λόγος non est persona distincta à patre, sed uel ipse pater, uel cogitatio seu propositum patris constituentis saluare humanum genus per Christum excellentem doctorem, ut Samosatenus, Photinus, & Seruetus hæretici furenter contenderunt.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Ioannes disertè λόγον personam esse testatur, cum inquit, per λόγον, seu filium Dei *facta esse omnia, & uersatum esse in mundo, seu induisse humanam naturam. Idem testantur uerba* Baptismi. *Quia tribuunt filio* Dei *æqualem honorem & omnipotentiam cum patre & spiritu sancto. Et personam esse λόγον etiam significat* Ioannes, *cum ipsum apud* Deum *fuisse in principio testatur, inquiens: Et uerbum erat apud* Deum. *Non igitur λόγος est ipse pater,*

pater, sed distincta persona à patre, qui in plenitudine temporis humanam naturam assumpsit ex Virgine, ut hostia fieret pro peccatis nostris. Gala. 4.

AN OPVS FVERIT FILIVM Dei *nasci hominem, & pati.*

Fuit ne ad reparationem humani generis necesse filium Dei assumere humanam naturam, ac mori? *Respon.*

Etiam. Primò propter ueritatem ac promissionem Dei. *Secundò, ad placandam immensam iram* Dei *aduersus peccatum, quæ nulla alia hostia, quàm morte filij* Dei *placari potuit.*

CONTRA.

Deus est omnipotens.

Igitur potuit remittere culpam sine morte filij.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia insufficientis causæ. Nam *utriq; satisfieri debuit, iustitiæ* Dei, *quæ exigebat compensationem seu λύτρον, & misericordiæ, quæ deprecata est & intercessit pro humano genere.* Ideo *factum est hoc admirandum decretum* Dei *de liberatione per filium, qui factus est uictima placans iram* Dei *aduersus peccatum.*

ALIVD.

Genus humanum semper amicum fu-

it Deo. Inquit enim Deus apud Ieremiam cap. 31. Perpetua charitate dilexi te. Et Paulus ait: Elegit nos Deus in filio ante constitutionem mundi. Ephe. 1.

Ergo non fuit opus missione & morte filij.

RESPONSIO.

Consilium de reconciliando humano genere per filium, fuit æternum. Adam *autem lapsus reuera factus est reus peccati & iræ* Dei. *Misericordia autem motus est* Deus, *ut promitteret* Messiam *filium reconciliatorem, propter quem receptus est* Adam, *& tota posteritas assentiens promißioni.*

Deus mori seu pati non potest.
Christus est Deus.
Ergo mori seu pati non potuit.

Respondeo *ad maiorem:* Christus *non solum est* Deus, *sed etiam homo.* Ideo *etiamsi diuina natura impaßibilis est, tamen de* Christo, *in quo natura diuina & humana inseparabiliter unita sunt, rectè dicitur* Deum *esse passum, propter idiomatum communicationem:* Idq; *non in abstracto, sed in concreto.* Neq; *enim rectè dicitur, diuinitas passa, sed* Deus *est passus.* Ideo *inquit* Irenæus: Diuina *natura in* Christo *quieuit, ut pati ac mori posset.*

DE

DE ASCENSV CHRIſti in cœlum.

Chriſtus aſcendit ad cœlos:
Ergo antè in cœlo non fuit.

Reſpondeo per diſtinctionem: Aſcendit ad cœlos ſecundum humanam naturam, quæ antè in cœlo non fuit, non ſecundum diuinam naturam, quæ ſemper fuit in cœlis apud patrem. Sicut inquit Rufinus in expoſitione Symboli: Aſcendit ad cœlos, non ubi uerbum Deus antè non fuerat, quippe qui erat ſemper in cœlis, & manebat in patre, ſed ubi caro factum antè non ſedebat.

ALIVD.

Deus eſt eſſentia incorporea, non habens manus, aut alia membra:
Ergo Chriſtus non poteſt ſedere ad dexteram patris.

RESPONSIO.

Dextera in ſcripturis potentiam ſignificat. Igitur ſedere Chriſtum ad dexteram patris, non eſt eũ certo loco affixum eſſe in cœlis, ſed habere omnem poteſtatem in cœlo & terra, ſeu æqualem eſſe patri omnipotentia, etiam ſecundum humanã naturam. Sicut inquit Matthæi ultimo: Data eſt mihi omnis poteſtas, quæ eſt in cœlo & in terra.

Quæ eſt tertia pars?



Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Et uitam æternam, Amen.

Hoc est, Credo Spiritum sanctum esse uerum Deum, qui me per fidem in Christum sanctificet, & illuminet cor meum, ut uerbo Dei assentiri possem, efficiatq; me membrum Ecclesiæ Dei, in qua consequar remißionem peccatorum, à mortuis uiuus resurgam, & uitæ æternæ fiam particeps.

QVAESTIO DE SPIRITV SAN-
*cto, an ſit Deus, & diſtincta perſona à Pa-
tre & Filio.*

Eſtne Spiritus ſanctus Deus, & perſo
na diſtincta à patre & filio? *Reſpon.*
Eſt.

Proba eſſe Deum.

Inuocatio ad Deum ſolum dirigenda
eſt, Iuxta illud: Inuoca me in die tri *Pſal.* 49.
bulationis.

Inuocatio dirigitur ad Spiritum ſan-
ctũ, ſicut teſtatur forma Baptiſmi. *Mat.* 28.

Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

ALIVD.

Sanctificare & uiuificare eſt opus ſo-
lius Dei.

Spiritus ſanctus ſanctificat & uiuifi-
cat corda:

Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

ALIVD.

Spiritus ſanctus à Paulo uocatur Do-
minus, Poſteriore Corinth. 3. Et
Gene. 1. dicitur ſpiritus Dei.

Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Proba Spiritum ſanctum eſſe perſo
nam diſtinctam à patre & filio.

Apparet Spiritus ſanctus in Baptiſ- 1.

Matth.3 mo Christi peculiari forma, scilicet
Acto.2. columbæ. Item in die pentecostes
in linguis igneis.

Ergo Spiritus sanctus est distincta
persona à patre & filio.

2. In formula Baptismi, Baptizo te in no
Mat. 28. mine patris, & filij, & spiritus san-
cti, distinguitur spiritus sanctus à
patre & filio, & tribuitur ei honos
omnipotentiæ & inuocationis.

Ergo spiritus sanctus est distincta per
sona à patre & filio, æquè cum illis
omnipotens, exaudiens, et saluans.

3. Christus inquit Ioan. 14. Rogabo pa-
trem, & alium paracletum dabit
uobis.

Ergo discernit spiritum sanctum à se
& patre, nec significat ipsum pa-
trem, nec agitationem creatam à pa
tre in cordibus.

QVAESTIO, AN FVERIT SPI-
ritus sanctus ante Christum incarnatum.

Fuitne Spiritus sanctus ante Christũ
incarnatum? *Respon.*

1. Petr. 1. *Fuit. Sicut Petrus testatur, loquens de prophe*
et 2. Pe. 1 *tis.*

tis. Spiritus Christi in eis prædixit, Christum passurum esse Esaias cap. 59. inquit: Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui in te est, & uerba quæ posui in ore tuo, non recedēt ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum.

DE ECCLESIA.

Quid Ecclesia.

Estne Ecclesia cœtus uisibilis? Resp.

Est, sed tamen dissimilis politijs seu regnis huius mundi, quæ titulis & ordinarijs successionibus ordinata sunt.

Quid est ergo Ecclesia?

Ecclesia est uisibilis cœtus amplectentium Euangelium Dei, & obedientium Euangelio, & renatorum spiritu sancto, cui cœtui admixta est in hac uita magna multitudo non renatorum, sed tamen de doctrina consentientium.

OBIECTIO DE ORDInaria successione.

Politia Mosaica alligata fuit ad certum ordinem & successionem.

Ergo etiam Ecclesia in Nouo testamento alligata est ad titulos, & ordinariam successionem Episcoporum.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est dissimilitudo.

Nam diuinitus ordinata fuit politia Iudaica, & alligata ad certas leges, & ceremonias Leuiticas. Sed Ecclesia noui Testamenti alligata est tantùm ad uerbum Dei. Sicut inquit Christus: Oues meæ uocem meam audiunt, Ioan. 10. de hac dictum est à Christo: Dic Ecclesiæ, non de ea, quæ pertinaciter defendit idola & impios errores.

CONTRA.

1. Cor. 14 Paulus uult fieri omnia ordine in Ecclesia.

Ergo necesse est alligatam esse Ecclesiam ad certas leges, & ordinariam successionem, ne corpus sit sine capite.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Nam alligata est Ecclesia ad sinceram doctrinam Euãgelij. Sicut inquit Christus: Oues meæ uocem meam audiunt. Ioan. 10. *Et Christus est caput Ecclesiæ. Sicut inquit Paulus Ephe. 1. Et ipsum (Christum) dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus eius integrum, perficientes omnia in omnibus. Ordo autem in Ecclesia est obseruandus docendi causa, sine opinione tamen iustitiæ, cultus aut necessitatis. Nam extra casum scandali uiolari possunt traditiones humanæ sine peccato.*

QVAESTIO DE SANCTIficatione Ecclesiæ.

Estne

Estne Ecclesia sancta? Respon.

Est, sicut eam Symbolum uocat, & Diuus Paulus, Ephe. 5. sed quantum ad imputationem, & inchoationem sanctitatis, non quantum ad consummationem attinet. Nam Ecclesia multiplicem habet adhuc infirmitatem, quam Deus ei condonat propter Christum mediatorem, cuius spiritu donata inchoat etiam nouitatem, seu sanctitatem in hac uita.

CONTRA.

Opera Dei sunt perfecta.
Sanctificatio est opus spiritus sancti:
Ergo sanctificatio Ecclesiæ est perfecta, seu consummata in hac uita, & nulla est imbecillitas, nullæ reliquiæ peccati in renatis.

Respondeo ad maiorem, per distinctionem: Opera Dei sunt perfecta, quantum attinet ad conditionem rerum, non quantũ ad regenerationem Ecclesiæ, quam Deus in hac uita inchoat, sed consummabitur in uita æterna. Interea imbecillis est Ecclesia, sed adiuuatur à Spiritu sancto in ærumnis; sicut inquit Paulus, Roma. 8. Spiritus Dei auxiliatur infirmitatibus nostris.

DE GLORIFICATIONE *Ecclesiæ, Quæstio.*

Quæ est gloria Ecclesiæ? Respon.

Ea in hac uita est uera agnitio & inuocatio Dei,

glorio-

gloriosa & mirabilis inde usq; ab initio mundi, eius conseruatio & liberatio contra hostes, Diabolum*, tyrannos, & impios doctores, omnibus temporibus.* Post *resurrectionem uerò erit futura perfecta liberatio ab omnibus ærumnis, cùm in uita æterna fruemur dulcißima consuetudine & aspectu* Dei*, cum angelis & electis. Sicut inquit* Ioannes: Charißimi*, nunc filij* Dei *sumus, & nondum apparuit quod futuri sumus. Scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicut est.*

Quomodo diuiduntur hæ tres partes?

Prima agit de Creatione*, Secunda de* Redemptione*, Tertia de* Sanctificatione.

Quis est usus Symboli Apostolici?

Vt ex ipso fidem in Deum*, per Spiritum sanctum, qui per uerbum externum est efficax, concipiamus, qua fide à peccatis emundemur, à morte & æterna damnatione liberemur, iustificemur & uitam æternam consequamur.*

Quis fidem in nobis operatur seu creat?

Spiritus sanctus.

Per quid?

Per prædicationem Euangelij.

Quid est Euangelium?

Est læta annunciatio de Christo, quòd Deus propter hunc filium suum remittat nobis peccata, reputet nos iustos, & donaturus sit nobis uitam æternam gratis per fidem.

Estne hæc fides in nobis perfecta?

Non. Ideo Deum sedulò & semper rogare debemus per Christum, ut fidem in nobis indies augere uelit, & imbecillitatem fidei, sicut & alia peccata, quæ contra legem ipsius commisimus, nobis condonare propter suum filium, Quare & nunc aptissimè sequitur tertia pars Catechismi, de Oratione Dominica, seu precatione, qua inprimis petere à Deo debemus, augmentum seu confirmationem fidei nostræ, & peccatorum condonationem.

DE TERTIA PARTE CATECHISMI, DE ORATIONE Dominica, seu precatione.

Quæ est tertia pars Catechismi?

Oratio Dominica, seu precatio.

Quid est Oratio dominica?

Est breuis forma orandi seu inuocandi Deum, ab ipso Christo tradita nobis, complectens summatim omnia, quibus tum ad hanc uitam temporalem sustentandam, tum ad æternam & cœlestem consequendam opus habemus.

Quid est precatio?

Est

Est ardens eleuatio mentis ad Deũ, per fidem, petentis aliquid à Deo propter Christum, mediatorem & propitiatorem nostrum, gratiasq; ei agentis pro accepto beneficio.

Quot requiruntur in Christiana oratione?

Quatuor. Quæ?

Præceptum Dei, & eius promißio, fides, & res petenda, quam Oratio dominica summatim complectitur.

Pronuncia Orationem dominicam.



Pater noster, qui es in cœlis, Sanctificetur

cetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Hoc eſt, *O pater noſter cœleſtis, qui uerè ades ubique, exaudis & reſpicis nos, effice ut agnoſcaris, & uera doceantur, per quæ gloria tua uerè patefiat, ut te rectè inuocent & colant homines. Rege nos ſpiritu ſancto, ut tuo uerbo credamus, inchoa hîc in nobis regnum gratiæ, ut fiamus poſt hanc uitam hæredes regni gloriæ.* Da, *ut omnes tibi obediant in terra, & quiſq; faciat ſuum officium, in tali uitæ genere, quod tibi placeat.* Da *nobis omnia uitæ corporalis commoda, uictum, pacem, defenſionem, ſucceſſum in rebus agendis, & ſimilia.* Remitte *nobis peccata noſtra propter tuum filium mediatorem noſtrum.* Defende *nos contra inſidias* Diaboli, *ne pertrahamur ad impietatem, aut alia peccata.* Libera *nos ex omnibus miſerijs & ærumnis præſentis uitæ, ut donetur nobis uita & iuſtitia æterna.* Amen.

Quis eſt uſus Orationis dominicæ, ſeu precationis?

Vt

Vt per eam omnia, quæ nobis & alijs sunt necessaria, à Deo petamus, & consequamur.

Quid in primis à Deo petere debemus?

Vt mandatis eius ex animo obedire, in ipsum uerè credere, eumq́; in omni nostra neceßitate seriò inuocare poßimus per Christum ipsius filium, quæ omnia cùm imperfectè & negligenter sæpenumero faciamus, pœnitere nos debet peccatorum nostrorum, eaq́; confiteri Deo *debemus, petere eorum absolutionem à ministro* Ecclesiæ, *& absolutioni fidem habere.* De *quo in quarta parte* Catechismi *dicitur.*

QVAESTIO.

Estne inuocatio Dei proprium opus Ecclesiæ, non cõmune cum Iudæis, Turcis, aut alijs gentibus? Respon.

Est. Quia *Ecclesia tantùm uerè* Deum *agnoscit, scit quem* Deum *inuocet, & per quem & cur exaudiatur.*

CONTRA.

Inuocant Deum etiam Turcæ & Iudæi:

Ergo inuocatio non est opus solius Ecclesiæ, sed etiam aliarum gentium.

Respondeo *per distinctionem ueræ & falsæ inuocationis.*

Vera

Vera inuocatio eſt, quæ dirigitur ad Deum per filium mediatorem, hac fide nos certò exaudiri à Deo propter hunc pontificem noſtrum, ſicut inquit: Quæcunq; petieritis patrem meum in nomine meo, dabit uobis, Ioan. 16.

Falſa, Turcica & Iudaica inuocatio eſt, quæ dirigitur ad Deum ſine Chriſto mediatore, quare dupliciter aberrant à Deo Iudæi & Turcæ: primùm de eſſentia Dei. Deinde de uoluntate. Ideo de exauditione certò ſtatuere non poſſunt, quia mediatorem filium non agnoſcunt.

DE INVOCATIONE SANctorum, Quæstio.

Sunt ne inuocandi Sancti tanquam interceſſores, quorum precibus ac meritis exaudiamur à Deo? *Reſpon.*

Non. Quia tantùm propter Chriſtum mediatorem, eiusq; merita & interceßionem promiſſa eſt Eccleſiæ exauditio & liberatio. Sicut inquit ipſe Chriſtus: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. *Ioan. 16.*

CONTRA.

Sancti ſunt honorandi. Sicut inquit Pſalm. Laudate Dominum in ſanctis eius. *Pſal. 150.*

Ergo ſanctos inuocare debemus.

RESPONSIO.

Nego conſequentiam; Quia plus eſt in conſe-

quente, quàm in antecedente. Nam *honor & inuocatio diuersi sunt cultus seu opera.* Inuocatio *tantùm* Deo *debetur, qui solus cordium motus intelligit: honor autem tribui debet sanctis, primò, ut gratias agamus* Deo *pro utilibus organis* Ecclesiæ. *Secundò, ut confirmemus eorum exemplis fidem nostram.* Tertiò, *ut imitemur eorum uirtutes, fidem, constantiam, castitatem, & confeßionem &c.*

ALIA OBIECTIO.

Sancti orant pro Ecclesia. Item Angeli. Zachariæ 1.

Ergo sancti sunt inuocandi.

RESPONSIO.

Nego cõsequentiam: *Quia etiamsi orant* Sancti *pro uniuersa* Ecclesia, *tamen hinc non sequitur inuocandos esse. Quia de inuocatione sanctorum in scriptura sacra neq; mandatũ, neq; promißio extat, neq; etiam exemplum ullum probatũ. Quia talis inuocatio uerbo* Dei, *seu promißioni diuinæ non nititur.* Ideo *de exauditione, cùm inuocat sanctos, certa esse non potest* Ecclesia.

ALIA.

Viuos licet rogare, ut pro nobis orent Deum.

Ergo etiam mortuos licet inuocare.

RESPONSIO.

Nego *consequentiam: Quia est dißimilitudo.*

Nam

Nam de uiuis extat mandatum & promißio, non de mortuis: & tantùm propter merita & intercessionem Christi mediatoris, non Sanctorum, promissa est exauditio Ecclesiæ. Ideo ad Christū mediatorem confugere debemus, uocantem ad se Ecclesiam. Matthæi 11. Venite ad me omnes &c.

ALIA.

Iacob uult nomen suum inuocari à posteris. Et Moyses orat: Memento Domine seruorum tuorum, Abrahæ, Isaac, & Iacob. Item in Psalmo orant fideles Deum, ut recordetur Dauidis:

Ergo inuocandi sunt sancti, & Deus exaudit Ecclesiam propter sanctorum intercessiones & merita.

Respondeo ad antecedens: Iacob petit ut Deus posteris suis adsit propter datam sibi promißionem, & gratia diuini fœderis etiam ad posteros suos perueniat. Et Moses rogat, ut Deus & se & populum suum recipere, iuuare & liberare uelit, propter datam promißionem Abrahæ, Isaac, & Iacob, cuius ipsi sint posteritas. Ita etiam fideles in Psalmo orant, ut Deus recordetur Dauidis, hoc est, promißionis datæ Dauidi de mittendo Meßia, & liberatione Ecclesiæ. Non igitur ad personas, sed ad datam promißionem re-

ſpexerunt Iacob, Moſes, & alij inuocantes Deũ. Et ineptè allegantur exempla, ubi expreſſæ ſcripturæ repugnant, Vt: Inuoca me in die tribulationis. Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis.

RATIONES, QVIBVS IMPROBATUR Sanctorum inuocatio.

Proba inuocationem Sanctorum eſſe impiam & idolatricam.

I.

Honor Dei non eſt tribuendus creaturis, iuxta illud Eſaiæ 42. Honorem meum non dabo alteri.

Pſal. 49. Inuocatio eſt honor, qui ſoli Deo debetur, iuxta illud Pſalmi: Inuoca me &c.

Ergo inuocatio non debet tribui creaturis ſeu ſanctis.

II.

Inuocatio Sanctorum obſcurat gloriam Chriſti, & ab eius fiducia abducit Eccleſiam:

Ergo inuocatio ſanctorum eſt improbanda.

III.

De inuocandis ſanctis neq; mandatum, neq; promiſsionem habet ſcriptura:

Ergo inuocandi non ſunt.

IIII.

Solum

Solus Christus est constitutus à Deo mediator & pontifex Ecclesiæ : 1. Tim. 2. Heb. 2.

Ergo solus Christus est inuocandus, non sancti.

V.

Tantùm propter merita Christi mediatoris exaudimur : Ioan. 14.

Ergo non propter intercessiones seu merita sanctorum.

VI.

Sancti non intuentur motus cordium, nam hoc solius opus est naturæ omnipotentis : Psal. 7. Iere. 17. Apoc. 11.

Ergo sancti non sunt inuocandi, quia non intelligunt animorum motus, seu cogitationes.

VII.

Angelus uetat se adorari, Apoca. 12.

Ergo angeli & mortui non sunt inuocandi aut adorandi.

VIII.

Synodus Carthaginensis prohibuit ne Sacerdos diceret ad altare : Sancte Petre, Sancte Paule ora pro me.

Ergo sancti non sunt inuocandi.

OBIECTIO DE EXauditione.

Non semper præstantur à Deo, quæ petimus :

Ergo promissio de exauditione non est uniuersaliter uera.

Respondeo per distinctionem bonorum corporalium & spiritualium. Bona corporalia promissa sunt cum conditione nostræ salutis, & gloriæ Dei. Ideo interdum uel differuntur, uel omnino non præstantur in hac uita. Quare in petitione corporalium rerum Ecclesia se subijcere debet uoluntati diuinæ. Sicut fecit Dauid, 2. Regum 15. inquiens: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Sin autem dixerit mihi, non places, præstò sum: faciat quod bonum uidetur ipsi. Bona uerò spiritualia, ut sunt remißio peccatorū, donatio spiritus sancti, & uitæ æternæ, certò promissa sunt Ecclesiæ propter mediatorem: Ideo semper præstantur petentibus. Sicut inquit Christus: Pater dabit spiritum sanctum petentibus, scilicet fide seu inuocatione, ac fiducia mediatoris.

Lucæ 11.

OBIECTIO DE EXAVDItione sine filio mediatore.

In Oratione dominica non fit mentio filij mediatoris.

Oratio dominica exauditur à Deo.

Ergo quædam inuocatio exauditur sine filio mediatore.

RESPONSIO.

Nego Maiorem: Quia cùm Deum nostrum patrem appellamus, simul includimus filiū, propter quem Deus factus est noster pater, et nos sibi filios adopta-

adoptauit, Ephe. 1. Sicut igitur Deus pater noster est per filium, ita etiam propter filium nos exaudit. Sicut inquit Christus: Si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit uobis. Hæc promißio in omnibus orationibus cogitari debet. Nam extra filium mediatorem Deus neminem exaudit, nec est pater, sed seuerus iudex, damnans & reijciens homines propter peccatum.

OBIECTIO DE BO-
nis spiritualibus.

Sanctificatio nominis Dei, aduentus seu augmentū regni eius, & uoluntatis executio pertinent ad gloriā Dei, & salutem nostram:

Ergo hæc bona cùm petuntur, consummatè tribui debent. Quia sunt bona spiritualia, quæ certò promissa sunt sine conditione.

Respondeo per distinctionem: Promissa sunt sine conditione, quantum attinet ad gloriam Dei, & certò dantur. Sed quantum attinet ad Ecclesiam, quæ subiecta est in hac uita cruci, Item ad exercendam fidem in inuocatione, & ad malitiam Diaboli impedientis gloriam Dei, Differuntur interdum hæc bona, aut certè occultatur largitio, ut crescat ardor Ecclesiæ in inuocatione, consummabuntur autem in uita æterna, in qua uidebimus preces nostras non fuisse irritas seu inanes.

QVAESTIONES DE PANE QVOTIDIANO, *seu uictu.*

Solicitudo est prohibita. Inquit enim Christus Matthaei sexto cap. Ne sitis soliciti in crastinum, quid edatis aut bibatis.

Petens panem quotidianum, est solicitus de crastino.

Ergo petens panem quotidianum, agit contra admonitionem Christi.

RESPONSIO.

Duplex est solicitudo. Quaedam coniuncta est cum diffidentia, haec est prohibita. Alia non est coniuncta cum diffidentia, quae est uocationis. De qua inquit Diuus Paulus, Roma. 12. *Qui praeest, id faciat cum solicitudine. Et monet* Christus, *ne à solicitudine seu diffidentia nos sinamus opprimi, ita ut propter diffidentiam de uictu & defensione deficiamus à ueritate seu confessione* Euangelij.

DE CONDONATIONE OFfensarum mutua.

Christus requirit mutuam condonationem delictorum proximi, ut nobis quoq; remittantur peccata nostra à Deo.

Ergo remissio peccatorum non est gratuita, sed pendet ex conditione nostra

nostrę condonationis tanquam ex causa seu merito.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia nostra condonatio est signum diuinæ condonationis, certificans nos de remißione nostrorum peccatorum, & requirit eam Christus tanquam fructum, non tanquā causam diuinæ indulgentiæ. Placet autem Deo nostra condonatio, sicut alia bona opera propter Christum. Ideo autem remißio peccatorum non pendet ex conditione, ut certa sit promißio. Vt docet Paulus ad Roma. 4.

DE TENTATIONE.

Iubet Christus petere, ne inducamur in tentationem à Deo.

Ergo Deus est autor tentationis seu peccati.

RESPONSIO.

Nego consequentiam. Nam induci in tentationem, significat phrasi Hebraica, non effectiuè, sed permißiuè permittere ut inducamur. Nam uerba actiua sæpe significant paßiuè Hebræis, Sic dicit Deus ad Mosen: Indurabo cor Pharaonis, id est, sinam ut induretur. Est igitur sententia petitionis, Ne sinas nos opprimi in tentatione. Sic Iacobus ait: Deus non tentat malis, id est, non est is, qui suggerit malas tentationes, sed Diabolus. 1. Thessa. 3.

Exod. 4.

Iaco. 1.

QVAESTIONES DE FINE MALORVM.

Multi petentes liberationem à malis, ut à morte, & cæteris ærumnis huius uitæ, non exaudiuntur.

Ergo promiſſio de exauditione eſt irrita.

RESPONSIO.

Nego *conſequentiam*: *Quia* Deus *exauditionem in corporalibus malis promiſit cum conditione, liberat tamen inuocantes etiam in corporalibus periculis, oportuno tempore, & quo modo ipſe ordinauit: aut per mortem, quæ non eſt ultimum malum, ad uitam meliorem perducuntur.*

ALIA, DE EXAVDI*tione.*

Deus peccatores non exaudit, Ioannis 9.

Omnes homines ſunt peccatores.

Ergo nemo exauditur.

Reſpondeo *ad* Maiorem, *per diſtinctionem. Nam duplices ſunt peccatores:* Reſipiſcentes, *quos exaudit* Deus: *& perſeuerantes in peccatis, contra conſcientiam, hos* Deus *non exaudit quàmdiu in propoſito peccandi perſeuerant contra teſtimonium conſcientiæ.*

QVAE-

QVAESTIO DE DVBI-
tatione.

Licetne dubitare de gratia Dei, & liberatione? Respon.

Non. Quia dubitatio est peccatum arguens Deum mendacij in datis promißionibus.

CONTRA.

Dubitant etiam pij, ut leprosus Matthæi 8. inquiens: Domine, si uelis, potes me mundare.

Ergo dubitatio non est peccatum.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia morbus inhærens in natura etiam piorum peccatum est, sed condonatur cùm repugnant huic malo naturali, erigentes sese fide intuente promißiones.

ALIA.

Superbia est iactare se esse in gratia Dei.

Ergo dubitatio est uirtus.

Respondeo ad antecedens: Superbia est iactare se esse in gratia Dei, sine uerbo Dei reuelato. Sed quia Deus uoluntatem suam nobis in filio reuelauit de reconciliatione: ideo certò statuere debemus, esse nos receptos propter mediatorem, Iuxta illud: Dilecti sumus in dilecto, Ephe. 1.

QVAESTIONES
DE QVARTA PARTE
CATECHISMI, DE POENITENTIA, Confeßione, & Abſolutione.



Quæ eſt quarta pars Catechiſmi?

Doctrina de pœnitentia, Confeßione, & Abſolutione.

Quid eſt Pœnitentia?

Eſt uerus dolor ſeu pauor conſcientiæ, de commiſſo peccato, incuſſus per legem Dei animis hominum, cum certa fiducia, peccatum eſſe nobis remiſſum gratis propter Chriſtum.

Quot ſunt partes pœnitentiæ?

Duæ. Quæ

Quæ?

Contritio & fides.

Quid est contritio?

Est uerus terror conſcientiæ de commiſsis peccatis, qui oritur ex agnita per legem ira Dei, aduerſus peccata.

Quid est Fides?

Est firma fiducia, qua ſtatuimus nobis remitti à Deo peccata gratis propter Chriſtum.

Qui ſunt digni fructus pœnitentiæ?

Obedientia erga legem Dei, ſeu nouitas uitæ.

Quid est Confeſſio?

Est, qua homo non ſolùm commiſſa peccata, ſed etiam corruptionem ſuæ naturæ uerè agnoſcit ex lege Dei, & confitetur ea uel Deo, uel proximo, uel miniſtro Eccleſiæ, cum ueniæ deprecatione.

Quis est uſus Confeſſionis?

Vt in ea accipiamus remiſsionem peccatorum, quam miniſter Eccleſiæ nobis offert in abſolutione loco Dei, certiſsimè gratis propter Chriſtum, per fidem.

Quid est Abſolutio?

Est læta per miniſtrum Eccleſiæ annunciatio gratuitæ remiſsionis omnium peccatorum, donatæ nobis à Deo gratis propter Chriſtum.

Dic uerbum, ſeu promiſſionem Dei de Abſolutione.

Quo-

Quorũcunq; peccata remiſeritis, remittuntur eis : & quorumcunq; retinueritis, retenta ſunt. Ioannis 20. Et: *Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlo.* Matthei 18.

Quis eſt uſus Abſolutionis?

Vt certam reddat conſcientiam noſtram dubitantem de remißione peccatorum, & fidem in nobis confirmet, ſicut & alia Sacramenta, de quibus in quinta parte Catechiſmi *traditur.*

QVAESTIO, AN RENATI *iterum labi poßint.*

Poſſuntne, qui renati ſunt, iterum labi, & amittere fidem, & Spiritum ſanctum? *Reſpon.*

Poſſunt, cùm contra conſcientiam peccant, ſicut Saul & David lapſi ſunt, quorum alter prorſus perijt, alter rurſus ad Deum *conuerſus eſt.* Et Paulus *inquit, priore ad* Corinth. 10. *Qui uidetur ſtare, uideat ne cadat.*

ALIA, AN LAPSIS SIT RE- *ditus ad gratiam.*

Supereſtne lapſis poſt baptiſmum remiſſio peccatorum, ſeu reditus ad gratiam? *Reſpon.*

Etiam. *Quia* David, *Manaſſes,* Petrus *poſt lapſus*

psus horrendos, iterum cõsecuti sunt remißionem peccatorum. Sic Paulus Galatarum Ecclesiam lapsam reuocat ad pœnitentiam, & recipi iubet Corinthium incestum, 2. Corin. 2. Et Ezechiel 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Et Lucæ 15. inquit Christus: Gaudium est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente.

OBIECTIO.

Inquit Paulus ad Hebræos 6. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, reuocari ad pœnitentiam. Item uoluntariè peccantibus post acceptam notitiam ueritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio iudicij.

Ergo lapsis post Baptismum non superest locus gratiæ.

Respondeo ad priorem locum, per distinctionem: Negatur renouatio ijs, qui non auscultant amplius Euangelio, sed illud contemnunt, &, ut postea addit, crucifigunt et ludibrio habent Christum. Alter locus non negat lapsos posse resurgere, aut redire ad beneficia Christi, sed excludit alias hostias quascunq;, siue legales, siue excogitatas ab hominibus, quibus Pharisæi & alij putabant se mereri remißionem peccatorum.

QVAE-

QVAESTIO, AN OMNIA PECcata sint remißibilia.

Remittuntur ne omnia peccata resipiscentibus? Respon.

Etiam. Quia inquit propheta Ezechiel, ca. 33, de impio resipiscente: Omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei: iudicium & iustitiam fecit, uita uiuet.

CONTRA.

Inquit Christus: Qui dixerit uerbum contra spiritum sanctum, non dimittetur ei.

Ergo est aliquod peccatum irremissibile.

RESPONSIO.

Concedo consequentiam: Sed hoc ipsum peccatum, cùm ad gratiam confugimus, etiam fit remißibile. Nam Augustinus peccatum irremißibile interpretatur finalem impœnitentiam, seu desperationem: & eodem interprete, dicit uerbum contra spiritum sanctum, qui uerbum prædicatum & confirmatum testimonijs spiritus, ad extremũ pertinaciter repudiat.

QVAESTIO DE PARTIbus pœnitentiæ.

Sunt ne pœnitentiæ partes solùm cõtritio & fides? Respon.

Sunt. Quia hi duo motus requiruntur in regeneratione

neratione impij. Primùm, ut per legem peccata agnoscat, & uerè doleat de admissis peccatis ex consideratione immensæ iræ Dei aduersus peccatum. Deinde, ut rursus concipiat certam fiduciam de remissione peccatorum, donata gratis propter Christum, qua mens consolationem accipit, & erigitur, ne conspectu iræ Dei, & propriæ indignitatis, ruat in desperationem, aut odium Dei, sicut Cain, Saul, Iudas, & similes.

CONTRA.

Papistæ faciunt partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem. *Respon.*

Papistæ contra uerbum Dei faciunt has partes pœnitentiæ, omittentes fidem. Quia confeßio quã illi uocant auricularem, non est mandata in uerbo Dei, & doctrina de satisfactione obscurat beneficium Christi, cuius mors sola est satisfactio pro peccatis. Porrò fidem quam nouitas uitæ sequitur tanquam fructus, partem esse pœnitentiæ, docet Christus, cùm iubet prædicari in nomine suo pœnitentiam, & remißionem peccatorum, quæ sola fide accipitur.

OBIECTIONES DE SA- *tisfactione.*

Satisfactio mos fuit uetus Ecclesiæ. Ergo & nunc seruari debet.

Respondeo per distinctionem: Castigatio seu

publica disciplina ueteris Ecclesiæ, qua excommunicati seu exclusi à cæterorum consortio, testabantur publicè, se uerè agere pœnitentiam, retineri debet in Ecclesia, exempli causa, ut alij mores regant diligentius, & explorentur lapsi, an seriò resipiscant, qui redeunt ad Ecclesiam. Sed persuasio de compensatione pro peccatis per ieiunia, peregrinationes, & alia opera indebita, ut uocant, imposita resipiscentibus, impia est & reijcienda, quia obscurat lucem Euangelij de fide accipiente remißionem peccatorum gratis propter Christum.

CONTRA.

Deus non solùm misericors est, sed etiã iustus, & iudex puniẽs peccata. Ideo etsi culpam remittit gratis propter Christum, tamen etiam compensationem exigit pro peccatis, ut iustitiæ suæ satisfiat.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia per mortem Christi, quæ unica est compensatio pro peccatis, tum à culpa, tum à pœna liberamur fide. Sicut inquit
1. Cor. 5. *Paulus: Per Christum habemus uictoriam. Item, Donum Dei est uita æterna, per Iesum Christum, Roma. 6.*

QVAESTIO DE POENIS, QVAE *resipiscentibus imponuntur.*

Si

Si tum culpa, tum pœna remittitur gratis fide propter Christum, cur ergo resipiscentibus ærumnæ corporales imponuntur, ut Dauidi, & aliis?

RESPONSIO.

Non hoc fit, ut mereantur pœnæ temporales relaxationem pœnarum purgatorij, aut aliarum, sed ut recepti à Deo diligentius deinceps peccata uitent, & habeant occasionem exercendæ inuocationis, & ut pœnæ corporales mitigentur pœnitentia. Nam sicut inquit Ioël 2. Conuertimini ad Dominum, quoniam misericors & bonus est, & remittens pœnam.

OBIECTIO.

Satisfactiones pro peccatis sunt impiæ.

Ergo non est satisfaciendum læsis aut iniuria affectis à nobis: nec mortificanda est caro exercitiis corporalibus.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia duplices sunt satisfactiones. Aliæ sunt Scholasticæ, ut ieiunia, certæ preces, peregrinationes, & similes, quæ imponuntur lapsis, tanquam compensatio pœnarum. Hæ sunt impiæ, quia obscurant gloriam Christi. Aliæ sunt ciuiles, ut cùm res ablatæ restituuntur, & satisfit affectis iniuria. Hæ necessariæ sunt,

Psal.33. & pertinent ad contritionem, Iuxta illud: Decli-
Ephes.4. na à malo, & fac bonum. Item, qui furatus est, am-
plius non furetur. Non sunt igitur hæc opera in-
debita, sed mandata à Deo, sicut etiam diligentia
mortificãdæ carnis, & obeundæ uocationis, quæ
sæpe tollit & mitigat pœnam. Iuxta illud Pauli: Si
1.Cor.11. nos non iudicaremus, nõ iudicaremur à Domino.

DE CONFESSIONE.

QVAESTIO, AN CONFESSIO retinenda sit in Ecclesia.

Estne Cõfessio retinenda in Ecclesia?

Est. Primùm propter absolutionem. Deinde propter disciplinam. Quia per eam occasionem in- docti erudiri, & commodius institui de tota do- ctrina possunt.

ALIA, DE ENVMERA- tione omnium peccatorum.

Estne exquisita illa omnium peccato- rum enumeratio necessaria? Respon.

Non. Quia sine hac & absolutionem & consi- lia resipiscentes petere possunt.

CONTRA.

Iudex non absoluit, nisi prius cogno- scat delictum.

In confessione fit absolutio:

Ergo necesse est etiam fieri cognitio- nem criminum.

RE-

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia duplex est potestas Ecclesiæ. Altera uocatur ministerium, quo impertiuntur nobis ministri Euangelium & Sacramenta, annunciantes remißionem peccatorum publicè et priuatim pœnitentibus gratis propter Christum. Hæc potestas non est mandatum cognoscendi delicta, nec est iudicium, sed tantùm ministerium impertiendi beneficij, iuxta illud: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis. Ioan. 20.
Altera potestas uocatur iurisdictio, quæ est iudicium quoddam externum Ecclesiæ, quod tantùm ad manifesta crimina pertinet, excommunicat & absoluit. De hoc iudicio Ecclesiæ loquitur maior Syllogismi.

DE ABSOLVTIONE.

QVAESTIO, AN CONFESSARIUS *peccata remittat.*

Remittit ne confessarius seu minister Ecclesiæ peccata in absolutione? *Resp.*
Etiam. Quia inquit Christus: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis. Ioan. 20.

CONTRA.

Solus Deus remittit peccata, iuxta illud: Ego sum, dicit Dominus, qui deleo peccata tua propter me. *Esai. 43.*
Ergo homo remittere non potest.

RESPONSIO.

Non est pugnantia. Quia minister seu confessarius peccata remittit, non propria uirtute, sed Luc.10. *mandato Dei. Qui inquit: Qui uos audit, me au-* Mat.16. & 18. *dit. Item, Quæcunq; solueritis in terra, soluta erunt in cœlis. Propter hoc uerbum seu promißionem Dei efficax est absolutio ministrorum Ecclesiæ.*

QVAESTIO.

Estne retinenda enumeratio peccatorum omnium in absolutione? Respon.

Psal,19. *Non. Quia impoßibilis est, iuxta illud Psalmi: Delicta quis cognoscit? Et non est mandata, neq; à Christo, neq; ab Apostolis.*

CONTRA.

Perpetuus consensus Ecclesiæ est retinendus.

Mos enumerandi peccata in confessione, est consensus Ecclesiæ.

Ergo hic mos est retinendus.

RESPONSIO.

Nego Minorem. Nam inquit Chrysostomus in Psalm.50. Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut ea confitearis conseruo tuo, ut tibi exprobret: dicito Deo, qui sanat ea.

DE

DE QVINTA PARTE CATECHISMI, DE SACRAmentis.

Quæ est quinta pars Catechiſmi?

Doctrina de Sacramentis.

Quid est Sacramentum?

Eſt ſignum externum diuinæ promiſsionis ac uoluntatis Dei *erga nos, ab ipſo* Deo *inſtitutum, ad confirmandam fidem noſtram de remiſsione peccatorum.*

Quot ſunt Sacramenta?

Duo principalia. Quæ?

Baptiſmus & Sacramentum Altaris, *ſeu* Cœna Domini.

DE NVMERO SACRAMENTORUM, Quæstio.

Suntne plura Sacramenta quàm duo noui Teſtamenti? *Reſpon.*

Non. *Quæ quidem* Chriſtus *in prædicatione ſua inſtituit & mandauit* Eccleſiæ, *habentia annexam promiſsionem gratiæ* Dei, *ſeu reconciliationis, ut* Baptiſmus & Cœna Domini. *Vnde inquit Auguſtinus in* Pſalm. 103. *Ipſe* Dominus & *Apoſtolica doctrina tradidit pauca quædam ſigna, ſicut eſt* Baptiſmi *ſacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis* Domini. *His tamen rectè adduntur* Abſolutio & Ordinatio, *quia & hæc*

mandatum & promißionem Dei habent, ut: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, Ioannis 20. Et: Qui uos audit, me audit, Lucæ 10. Est igitur & absolutio, & ordinatio seu uocatio ad ministerium Euangelij efficax, & utraq; seruari debet in Ecclesia per impositionem manuum, quæ semper signum fuit rei destinatæ ad cultum Dei, & signum benedictionis.

OBIECTIO.

Si sacramenta dicuntur, quæ mandatum & promissionem Dei habent, erunt etiam sacramenta oratio, tolerantia in cruce, eleemosynę, & iniuriarum condonatio. Quia & hęc mandatum & promissionem Dei habent.

RESPONSIO.

Possunt hæc in genere dici Sacramenta, sed tantùm duæ sunt ceremoniæ, quæ diuinitus institutæ sunt in prædicatione Christi, quæ ab alijs operibus moralibus discernendæ sunt, ut Baptismus & Cœna Domini. Nam hæc expreßè habent adiunctam promißionem reconciliationis cum Deo propter Christum.

ALIA.

Papistę etiam Sacramenta faciunt Cõfirmationem, Matrimonium, pœnitentiam, & extremã unctionem. Ergo

Ergo non tantùm sunt Sacramenta Baptismus, & Cœna Domini.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Sacramenta ea tantùm censenda sunt, quæ à Christo sunt instituta & mandata, & habent adiunctam promißionem gratuitæ remißionis peccatorum: hanc quia non habent Confirmatio, Matrimonium, Pœnitentia, quam illi intelligunt, & extrema Vnctio, ideo non magis uerè aut propriè dicenda sunt Sacramenta, quàm alia opera moralia. Neq; enim quæcunq; actio habet promißionem, dicenda est sacramentum, sed ea tantùm, quæ habet mandatum & promißionem gratuitæ reconciliationis, ut Baptismus & Cœna Domini. Confirmatio, quæ olim fuit exploratio doctrinæ, Item Vnctio, quæ olim curatio medica fuit, hodie sunt ociosæ ceremoniæ Episcoporum, & impiæ propter superstitionem & abusum. Coniugium autem Sacramentum dicitur à Paulo, quia est mysterium, seu imago & amoris Christi erga sponsam Ecclesiam, & afflictionum & officiorum Ecclesiæ. Ephes. 5.

DE DISCRIMINE SACRAMENTORUM *Veteris & Noui testamenti,*

Quæstio.

Estne discrimen inter Sacramenta ueteris & noui Testamenti? *Respon.*

Prorsus nullum, quantum ad efficaciam & si-

gnificationem eorum attinet, sed quantum ad ceremonias, seu externa signa. Quia utraq; significant & offerunt gratiam Dei spiritualem, & sunt quasi symbola professionis doctrinæ. Nam ut circumcisio testabatur Abraham, & eius posteritatem recipi à Deo in gratiam, & discernebat hunc populum à cæteris Idololatris, ita etiam Baptismus & Cœna Domini sunt sigilla, & quasi pignora quædam gratiæ Dei seu reconciliationis cum Deo propter Christum, & discernunt uerã Ecclesiam à Iudæis, Turcis, & alijs religionibus.

CONTRA.

Inquiunt Scholastici doctores, Sacramenta ueteris legis figurasse gratiam Dei, nostra uerò eandem exhibere.

Ergo differunt etiam quantum ad exhibitionem gratiæ attinet.

RESPONSIO.

Nego antecedens: Quia etiam circuncisio exhibuit Abrahæ & posteris eius gratiam Dei. Vnde Paulus circumcisionem uocat signaculum iustitiæ fidei Abrahæ. Et 1. Corinth. 10. inquit, Omnes de eadem spirituali petra participasse, & de spirituali potu bibisse. Tametsi nostra Sacramenta omnia plenius, quàm ueteris, nobis exhibent. Sicut inquit Paulus: Propior nunc est salus, quàm cùm credebamus.

Roma. 4

Roma. 3.

DE

DE NECESSITATE SAcramentorum.

Estne necessarius usus Sacramentorum ad salutem? Respon.

Est, cùm eorum datur habendi facultas. Quia Christus ea instituit ad alendam & augendam nostram fidem de gratuita reconciliatione. Ideo sicut necessaria est prædicatio Euangelij, ita etiam Sacramentorum usus est necessarius & utilis. Quia Sacramenta nihil aliud sunt, quàm uisibile uerbum, quod sicut auribus percipitur, ita Sacramenta in oculos incurrunt.

CONTRA.

Fides ad salutem sufficit. Quia inquit Christus: Qui credit in me, habet uitam æternam. Item Paulus: Cor de creditur ad salutem. *Ioan. 3.* *Roma. 10*

Ergo nõ est opus Sacramẽtis ad salutẽ.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Sacramenta singulari Dei bonitate erga Ecclesiã instituta sunt, ut fidem in nobis augeant, alant & confirment. Et sunt Sacramenta causæ instrumentales fidei. Ideo sicut ministerium Euangelij necessariò requiritur ad fidem, iuxta illud: Fides est ex auditu, ita etiam sacramenta fidem in utente accendunt. Requiritur igitur in usu sacramentorum fides apprehendens promißionem.

QVAE-

QVAESTIO.

Saluantur ne ergo qui credunt, etiam si Sacramentis non sunt usi? *Respon.*

Etiam, si utendi facultas non conceditur. Nam hic fides sufficit, ut in infantibus, qui in lucem uiui non eduntur, & quibus Baptismus aut Cœna Domini, ut in Turcica regione, aut alijs locis, denegatur.

CONTRA.

Eadem est ratio Baptismi & Circumcisionis.

Nemo est saluatus inter Iudæos, nisi fuerit circuncisus.

Ergo nemo saluatur, nisi baptisatus sit.

RESPONSIO.

Nego Minorem: Quia multi etiam saluati sunt ex gentibus, qui non fuerunt circuncisi, nec membra politiæ Iudaicæ, sed tantùm Ecclesiæ, ut Nahaman Syrus, & quos Lucas Actorum 2. uiros religiosos uocat. Ita etiamnum multi saluantur, etiamsi baptisati non sunt, aut Cœna Domini uti non possunt, qui tamen precibus piorum commendantur Ecclesiæ, & doctrinam Euangelij amplectuntur, & uoluntate se adiungunt Ecclesiæ, quæ uerbum Dei & legitimum usum Sacramentorum habet.

DE VSV ET EFFICACIA *Sacramentorum.*

Requiritur ne fides in usu Sacramentorum? *Respon.*

Etiam. *Quia Sacramenta, sicut uerbum prædicatum, Euãgelij promißionem de gratuita reconciliatione offerunt, quæ fide percipienda est. Est enim fides quasi Sacramentorum anima. Sunt igitur ita demum Sacramenta efficacia in utentibus, cùm fides accedit, quæ oblatam gratiam tanquam correlatiuum accipit. Sicut inquit promißio Baptismi: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.* Et Cœnæ Domini: Hoc *est corpus meum, quod pro uobis datur: & , hic est sanguis meus, qui pro uobis & multis effunditur in remißionem peccatorum.*

DE SACRIFICIIS, EX P. M. *Quæstio.*

Differunt ne Sacramentum & Sacrificium? *Respon.*

Etiam. *Quia Sacramentum est ceremonia, per quam* Deus *nobis aliquid promittit, & exhibet, uidelicet remißionem peccatorum, donationem spiritus sancti, uitam æternam, quale in ueteri* Testamento *fuit* Circuncisio, *in* Nouo Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio. *Sacrificium est ceremonia, uel opus nostrum, quod nos* Deo *reddimus, ut eum honore afficiamus.*

Quot

Quot sunt species Sacrificij?

Proximæ duæ. Sacrificium ἱλαστικόν, seu propitiatorium uidelicet opus quod meretur alijs remißionem culpæ & pœnæ, seu opus reconcilians Deum, & placans iram Dei pro alijs: & satisfactorium pro culpa, & æterna pœna. Tale sacrificium unicum tantum in mundo fuit, uidelicet passio seu mors Christi, ut Epistola ad Hebræos docet. Altera species est sacrificium εὐχαριστικόν, quod non meretur remißionem peccatorum, aut reconciliationem, sed fit à reconciliatis, ut pro accepta remißione peccatorum, & pro alijs beneficijs Deo gratias agant, & gratiam referant sua obedientia. Hæc sacrificia laudis uocantur, & sunt prædicatio Euangelij, fides, inuocatio, gratiarum actio, confeßio, afflictiones sanctorum, & omnia bona opera, quæ reconciliati per fidem faciunt, ut Deum honore afficiant, & obedientiam suam erga Deum testentur. De his inquit Petrus, 1. Petri 2. Sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. Et Paulus ad Hebræos 13. Per Ipsum (Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo, fructum labiorum confitentium nomini eius. Item Psal. 49. Immola Deo sacrificium laudis Et Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

OBIECTIO DE SAcrificijs.

Erant

Erant in ueteri testamento sacrificia propitiatoria pro peccato.

Ergo non tantùm passio & mors Christi sunt sacrificium propitiatorium.

Respondeo ad antecedens, per distinctionem: Sacrificia ueteris Testamenti *propitiatoria uocabantur.* Primò, *quia merebantur remißionem peccatorum in externa conuersatione, hoc est, ne lapsi excluderentur ex politia* Mosi, *non coram* Deo. Nam *inquit* Paulus *ad* Hebræ. 10. *Impoßibile fuit sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Deinde propitiatoria *dicebantur, propter significationem seu similitudinem, non quòd mererentur remißionem peccatorum corã* Deo, *sed quia significarent futurum* Christi *sacrificium, hoc est, paßionem & mortem eius.* Hoc *testantur hæc testimonia scripturæ.* Ad Hebræ. 10. *Vnica oblatione consummauit sanctos.* Item, In *qua uoluntate* (Christi) *sanctificati sumus per oblationem corporis* Christi *semel.* Item Esaiæ 53. *Postquam dederit animam suam hostiam pro delictis, uidebit semen longæuum.*

ALIA.

In ueteri testamento fuerunt externi cultus seu sacrificia, quæ merebantur remissionem peccatorum.

Ergo & in Nouo tales cultus esse debent.

RE-

RESPONSIO.

Nego primùm antecedens: quia Leuitici cultus non merebantur remißionem peccatorum coram Deo, sed erant tantùm signa futuri sacrificij Christi. Deinde nego consequentiam: quia est dissimilitudo. Nam cultus Leuitici erant mandati à Deo, in quorum locum, reuelato Euangelio, successerunt cultus spirituales, qui sunt fides, inuocatio, confeßio, patientia in cruce, & cæteri fructus ac signa fidei, iuxta illud: Dabo legem meam in corda eorum. Et Christus inquit: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate, hoc est, uero cordis affectu.

ALIA, DE APPLICATIONE *sacrificiorum εὐχαριστικῶν pro alijs.*

De natura, ut inquiunt Scholastici doctores, est cuiuslibet sacrificij, ut applicetur pro alijs.

Ergo etiam sacrificia εὐχαριστικὰ applicari debent pro alijs, & merentur alijs remissionem peccatorum, & alia bona.

RESPONSIO.

Nego antecedens: Quia opera nostra non applicantur alijs, sunt enim imperfecta, & uix nobis ipsis sufficiunt, ut testatur parabola de uirginibus fatuis. Habent igitur opus fide, quæ petit, ne imputetur nobis infirmitas. Et inquit Abacuc: Iustus (Mat. 25.)

fide

fide sua uiuet. Non igitur bona opera applicātur alijs, sed facienti tantùm prosunt.

CONTRA.

Oratio prodest alijs.

Ergo etiam alia bona opera possunt applicari alijs.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: quia est dissimilitudo. Nam oratio non offert Deo *aliquod opus nostrū, quod sit precium pro alijs, sed tantùm cupit accipere à* Deo *propter Christum. Promisit aūt* Deus *se daturū & nobis & alijs, pro quibus petimus.*

ALIA.

Iustitia paucorum sæpe impetrat bona alijs.

Ergo bona opera alijs applicantur.

Respondeo ad antecedens, primùm per distinctionem: Iustitia aliena prodest iustis ad impetrandum bona corporalia, nō prodest iniustis ad iustificationem, quæ propria fide est accipienda. Iuxta illud: Iustus sua fide uiuet. Deinde *non nostrum est opus applicare alijs nostra merita, sed* Deo *debemus permittere, quæ præmia cōmunia uel peculiaria nobis daturus sit.*

QVAESTIO DE SACRIFICIO *Missæ.*

Meretur ne ergo Missæ sacrificium, quod uocant, remissionem peccatorum

aliјs,& applicari poteſt aliјs? Reſp.

Non. Quia ſola paßio & mors Chriſti merentur nobis remißionem peccatorum, & placant iram Dei aduerſus peccatum, & huius unici ſacrificij, quo filius Dei ſe obtulit patri pro nobis in odorem bonæ fragrantiæ, applicatio fit tantùm propria cuiuſq; fide, idq; gratis, non propter alienum opus, iuxta illud: Iuſtus ſua fide uicturus eſt. Item, Impoßibile eſt placere Deo ſine fide.

QVAESTIO.

Ergo erronea & impia eſt diſtinctio aduerſariorum, qui fingunt duplex ſacrificium Chriſti, cruentum, quo ipſe ſe pro nobis obtulit in cruce: & incruentum, quod Sacrificulus in Miſſa offerre ſe putat? Reſpon.

Etiam. Quia ſacrificio, quo reconciliari Deo hominē oportebat, ſemel defunctus eſt filius Dei, Vt inquit Epiſtola ad Hebræ. Vnica oblatione cō-

Hebr.10 *ſummauit ſanctos, Vis huius unici ſacrificij eſt æterna, & fructus eius percipitur in Cœna Domini, in qua Chriſtus ſuum corpus ſemel immolatum porrigit nobis in cibum, ut eo ueſcamur, ſtatuentes fide nos reconciliatos eſſe Deo paßione & morte Chriſti. Fit igitur hæc applicatio ſacrificij filij Dei fide, non opere ſacrificuli.*

DE BAPTISMO.



Quid est Baptismus?

Est aqua gratiæ & regenerationis uerbo seu promißione & mandato Dei *inclusa, quo offertur ijs, qui baptizantur, remißio peccatorum, adoptio filiorũ* Dei, *iustificatio,* Spiritus *sanctus, & uita æterna.*

Quod est uerbum seu promissio Baptismi?

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus

erit, Qui uerò non crediderit, condemnabitur, Matthæi ultimo.

Quod est mandatum de Baptismo?

Ite in uniuersum mundum, & docete omnes gẽtes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, et Spiritus sancti, Matthæi ultimo.

Quis est usus Baptismi?

Vt per eius ministerium Ecclesiæ Christianæ inseramur, adoptionem filiorum Dei consequamur, regeneremur, fidemq; nostram de remißione peccatorum confirmemus, in quem etiam usum, Sacramentum Altaris, seu cœna Domini instituta est.

QVAESTIO.

Estne Baptismus Sacramentum? Resp.

Est. Quia Christus mandauit, Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, et habet additam promißionem de reconciliatione, & donãdo spiritu sancto, & uita æterna credentibus. Mar. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

ALIA, DE NECESSITATE Baptismi.

Estne usus Baptismi omnibus necessarius? *Respon.*

Etiam. Quibuscunq; datur eo utendi facultas. Iuxta illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua

aqua & spiritu, non potest uidere regnum Dei. *In his uerò, quibus deest utendi facultas, ad salutem fides sufficit, quæ promissioni* Dei *assentitur, iuxta illud:* Qui *credit in me, habet uitã æternã.*

ALIA, DE DISCRIMINE BAptismi Christi, & Ioannis Baptistæ.

Estne aliquod discrimen inter Baptismum Ioannis & Apostolorum, seu Christi? *Respon.*

Nullum prorsus, quantum ad ministerium seu ceremoniam & efficaciam Baptismi *attinet, sed quantum ad personas, quia & baptismus* Ioannis *& apostolorum admonuit baptisatos de agenda pœnitentia, & impertienda ipsis remissione peccatorum, iuxta illud* Lucæ 3. *Erat prædicans baptismum pœnitẽtiæ in remissionem peccatorũ. Personæ autem,* Ioannes *seu* Apostoli, *&* Christus *differunt.* Nam Ioannes *&* Apostoli *tantùm fuerunt ministri adhibẽtes externum ministeriũ, per quod efficax fuit* Spiritusſ. *sed* Christus *est ipse dator* Spiritus *sancti, & uitæ æternæ ac iustitiæ.* Vnde *inquit* Ioannes: Ego Baptizo *uos aqua, qui autem post me uenturus est, baptizabit uos spiritu sancto & igne,* Lucæ 3.

DE BAPTISMO Infantium.

Suntne baptizandi infantes? *Resp.*

Etiam. Quod *sequentibus sex argumentis pro-*

batur. Primum Argumentum.

Regnum Dei, hoc est, promißio gratiæ & uitæ æternæ pertinet etiam ad infantes. Nam inquit Christus de infantibus Matth. 18. Talium est regnum cœlorum. Item, non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis.

Sed extra Ecclesiam non est salus, aut uita æterna.

Ergo infantes per baptismum, in quo super eos inuocatur nomen Dei, sunt inserẽdi Ecclesiæ, ut promißionem gratiæ & uitæ æternæ consequãtur, iuxta illud: Sinite paruulos ad me uenire, quoniam illorum est regnum cœlorum.

2. Qui nascuntur in peccato, opus habent ministerio Baptismi. Quia Deus instituit ministeriũ remittendi peccata, & distribuit remißionẽ peccatorum per Sacramentum.

Infantes nascuntur in peccato.

Ergo infantes sunt baptizandi, ut consequantur remißionem peccatorum, & fiant hæredes uitæ æternæ.

3. Ad quos pertinet promißio, ad eosdem pertinet signum. Nam signum traditum est propter promißionem.

Promißio gratiæ pertinet ad infantes, quia inquit Christus: Talium est regnum cœlorum.

Ergo infantibus signum Baptismi impertiendum est, quo super eos nomen Dei inuocatur.

4. Manda-

4. *Mandatum de Baptismo est uniuersale, ac ad totā Ecclesiam pertinet: nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.*

Ergo etiam infantes baptizandi sunt, ut regnum cœlorum intrent.

5. *Circuncisio fuit typus Baptismi.*

Per circuncisionem infantes oblati sunt Deo, & recepti in Ecclesiam octauo die.

Ergo etiam nostri infantes baptizari debent, et recipi in Ecclesiam, ut nomen Dei super eos inuocetur.

6. *Baptismus infantium mos fuit ueteris Ecclesiæ, traditus ab ipsis Apostolis. Nam inquit Origenes ad Roma. cap. 6. Itaq; & Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis Baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus secreta diuinorum mysteriorum commendata fuerant, quòd essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam, & spiritum aboleri deberent.*

Sunt igitur baptizandi infantes, ut à peccato originis abluantur.

OBIECTIO ANABA-
ptistarum.

Christus in baptizandis requirit intellectum doctrinæ, & fidem, sine qua ceremonia nihil prodest. Nam inquit: Docete omnes gentes: qui

credideriт & baptizatus fuerit, saluus erit.

Infantes neq; intelligunt, neq; habent fidem.

Ergo infantes non sunt baptizandi.

Respondeo ad Maiorem, primùm per distinctionem: Christus requirit intellectum doctrinæ, & assensum seu fidem in adultis, sed in infantibus satis est administratio ceremoniæ, per quam datur eis spiritus sanctus, qui sua interna operatione efficit in eis nouos motus, & nouas inclinationes pro ipsorum modo. Deinde nego Minorem: quia infantes qui recipiuntur per Baptismum à Deo, habent remißionem peccatorum, & placent Deo, iuxta illud: Talium est regnum cœlorum. Habēt igitur fidem, quam in eis occulto modo operatur spiritus sanctus, sicut in Ioanne Baptista, & alijs.

ALIA.

Baptizati à ministris malis, seu impijs, sunt rebaptizandi.

Multi à Papisticis ministris sunt baptizati.

Ergo illi rebaptizari debent.

RESPONSIO.

Nego maiorem: Quia sacramenta, cùm legitimè administrantur, efficacia sunt, non propter ministri dignitatem, sed propter institutionem Dei, ut certa sit promißio. Ipse enim Christus est,

qui

qui uerè & propriè baptizat, non homo, cuius ministerio, tanquam manu, Christus in baptizando utitur.

ALIA.

Multi à noto Baptismi per peccata relabuntur:
Ergo hos rebaptizari oportet, ut pristinam integritatem recipiant.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia uis Baptismi perpetua est, & recordatione repetitur, cùm uidelicet in mentem nobis uenit, nos olim baptizatos esse, & receptos nos semel à Deo *in gratiam, & donatos spiritu sancto. Cùm hoc modo confirmamus fidem nostram recordatione* Baptismi, *est in nobis efficax* Spiritus *sanctus, & recipimur iterum à* Deo, *cùm agimus pœnitentiam, & credimus promißioni* Dei: *sicut* Dauid *post lapsum receptus est, consolans se recordatione initi semel fœderis cum* Deo *per circumcisionem, eam non repetens de integro. Est igitur* Baptismus *perpetuum ueniæ & gratuitæ reconciliationis cum* Deo, *testimonium ac fœdus. Sicut inquit* Petrus, Baptismum *parere in nobis ex resurrectione* Christi *fiduciam bonæ conscientiæ.* 1. Petri 3.

DE SACRAMENTO Altaris, seu cœna Domini.



Quid est Sacramentum Altaris, seu cœna Domini?

Est *uerum corpus, & uerus sanguis* Domini *nostri* Iesu Christi, *sub pane & uino, ab ipso* Christo *ideo institutum, ut* Christiani *id manducarent & biberent, ad confirmandam fidem suam, de remißione peccatorum.*

Quæ sunt uerba, quibus Christus Sacramentum Altaris, seu cœnam suam instituit, & mandauit?

Hæc ſunt: Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in ea nocte, qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquam gratias egiſſet, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur, Hoc facite in mei commemorationem: Similiter & poſtquam cœnauit, accepto calice, cùm gratias egiſſet, dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro uobis & multis effunditur, in remiſsionem peccatorum, Hoc facite, quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem. Matt. 26. Lucæ 22. Mar. 14. 1. Cor. 11.

Quis eſt uſus Sacramenti Altaris, ſeu cœnæ Domini?

Vt eo memoriam redemptionis noſtræ, factæ per Chriſtum, renouemus, fidemq; noſtram de remiſsione peccatorum, parta nobis per paſsionem & mortem CHRISTI, *apud nos confirmemus.*

Quis dignè ſumit Sacramentum Altaris, ſeu cœnam Domini?

Qui peccata ſua, & iram Dei aduerſus peccata, eorumq; pœnam, uerè agnoſcit, & ex lege Dei ſentit, & his uerbis, PRO VOBIS DATVR, & pro uobis effunditur in remiſsionem peccatorum, *firmiter credit.*

Quot

Quot requiruntur in uſu Sacramenti Altaris, ſeu cœnæ Domini?

Tria. Quæ?

Agnitio peccatorum, & ſenſus iræ Dei ac pœnæ aduerſus peccata, uitæ emendatio, & fides, quæ uerbis Sacramenti certò credat.

Quando Sacramento Altaris, ſeu cœna Domini utendum eſt?

Cùm conſcientia noſtra peccatis angitur, horrendam iram & iudicium Dei, aduerſus peccata uerè ſentit, & certa eſſe de remiſſione peccatorum deſiderat.

QVAESTIO.

Eſtne Cœna Domini Sacramentum?

Eſt. Quia eſt ceremonia inſtituta à Deo, in qua uerè exhibentur nobis corpus & ſanguis Chriſti ſub pane & uino, ut ſint ſigilla gratiæ Dei erga nos, recipientis nos propter Chriſtum mediatorem paſſum pro nobis, crucifixum & reſuſcitatum.

Requiritur ergo fides in uſu Sacramenti altaris, ſeu Cœnæ Domini? *Reſp. Etiam.*

CONTRA.

Aduerſarij contendunt ſacramenta prodeſſe utenti ex opere operato, ut uocant.

Ergo in Cœna Domini non requiritur fides.

Reſpon-

RESPONSIO.

Erronea & impia est hæc opinio aduersariorum de opere operato, quia propriè nos nihil agimus in usu sacramentorum, qui accipimus à Deo gratiam: sed Deus agit aliquid, conferens nobis sua dona: ut in Baptismo Deus nos filij sui sanguine abluit, suoq; spiritu nos regenerat: in Cœna carne sanguineq; Christi nos pascit. Propterea autē fides in Cœna requiritur, quia in ea offertur nobis reconciliationis promissio cum Deo, quæ nulla alia re, quàm fide accipi potest.

QVAESTIO DE SALVBRI sumptione Cœnæ.

Quomodo igitur prodest Cœna Domini?

Cùm sumens corpus & sanguinem Christi certa fide statuit sibi remissa esse peccata propter filium Dei, & placatum esse Deum: agit pœnitentiam, & inchoat nouam uitam, seu nouam obedientiam erga legem Dei.

OBIECTIO, AN COENA DOmini sit Sacramentum.

Gratiarum actio est sacrificium, non sacramentum.

Cœnam Domini uocarunt Veteres εὐχαριστίαν, hoc est, gratiarum actionem.

Ergo

Ergo Cœna Domini non est sacramentum, sed sacrificium.

Respondeo ad Minorem, per distinctionem: Cœna Domini *uocatur εὐχαριστία seu sacrificium laudis, quia eo utentes gatias agunt* Deo *pro summo beneficio* Dei, *quòd* Ecclesiam *per mortem filij redemit, & confitentur hoc opere, se credere* Euangelio, *& inuitant suo exemplo alios: Sacramentum autem est & uocatur, quia sigillum est gratiæ* Dei, *& reconciliationis, quo fides utentis excitatur & confirmatur.*

QVAESTIO, AN PROSIT *oblatio Cœnæ uiuis & mortuis.*

Estne legitimus usus Cœnæ Domini, cùm pro uiuis ac mortuis offertur, aut ad impetranda bona corporis, aliosq; usus quoscunq; confertur? *Respon.*

Non. *Quia solùm ad hunc finem à Christo est instituta, ut ea fidem nostram de remißione peccatorum &* placatò Deo *per mortem filij excitaremus ac confirmaremus.* Non *habet autem ceremonia rationē Sacramenti, cùm aliquid instituitur extra & præter uerbū* Dei, *aut cùm transformatur ceremonia in opus genere diuersum, idest, cùm alius finis cōstituitur, quàm à* Deo *propositus est.*

DE SVMENDA VTRAQVE *specie.*

Estne legitimus & salutaris usus Cœ-

næ Domini, cùm altera tantùm species sumitur, aut exhibetur? Respon.

Non. Quia Christus utranq; partem uniuersæ Ecclesiæ sumendam instituit, inquiens: Edite corpus meum, & bibite omnes sanguinem meum: huic mandato & institutioni Christi tota Ecclesia obtemperare debet: quia est Christus magnus ille propheta seu doctor Ecclesiæ, quem Moyses audiendum præcepit, Deuterono. 18. Et de quo pater clamauit, Matth. 17. Hunc audite. Deinde D. Paulus constituit iuxta mandatum Domini in Ecclesiâ Corinthiorum distribui & corpus & sanguinem Domini omnibus, et uetus Ecclesiâ multis annis hunc morē traditū ab Apostolis, seruauit. 1. Cor. 11

OBIECTIO DE ACCIPIENDA *altera tantùm specie.*

Christus tantùm Apostolis, quos his uerbis (hoc facite) sacerdotes consecrauit, utranq; partem sumendam instituit.

Ergo Laici unam tantùm partem sumere debent.

RESPONSIO.

Nego antecedens: Quia Christus expreßè inquit de calice: Bibite ex hoc omnes, his uerbis tā Laicis quàm sacerdotibus dat suum sanguinem, ut hoc sumpto utriq; fidem suam confirment, & in memoriam sibi reuocent, sanguine Christi

se

se ablutos esse à sordibus peccati, Sicut inquit: Hoc facite in mei commemorationem. Nec uerbo faciendi consecrauit Apostolos sacerdotes, sed præcepit in genere omnibus discipulis, ut edant suum corpus, & bibant suum sanguinem. Nam de hoc opere loquitur, uidelicet edendi & bibendi, quod toti Ecclesiæ commendat ad commemorationem perpetuam suorum beneficiorum.

ALIA.

Nullum est corpus uiuum sine sanguine.

Ergo cùm edunt Laici corpus Christi sub pane, etiam sanguinē eius participant, & non est necesse, ut sanguinem Christi bibant.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia primùm mala est consequentia à naturalibus ad spiritualia, seu mysteria Ecclesiæ. Deinde non satisfit institutioni Christi, qui non tantùm edere suum corpus iussit, sed etiam bibere suum sanguinem, ad hanc cōmemorationem, se non tantùm corpus suum obtulisse in mortem pro Ecclesia, sed etiam effudisse
Apoca. 1 *sanguinem, quo, ut inquit Ioannes, à peccato abluti sumus.*

ALIA.

Ecclesiæ mos est seruandus.

Ecclesia

Ecclesia multis annis alteram tãtùm partem laicis exhibuit:
Ergo hic mos est seruandus.

Respondeo ad antecedẽs: Mos *Ecclesiæ est seruandus, qui nõ repugnat expresso uerbo* Dei,*cui consuetudo cedere debet.* Mos *autem porrigendi alteram tantùm partem* Laicis,*repugnat institutioni ac mandato* Christi, *quia pro tota* Ecclesia *utranq; partem instituit, sicut pro tota* Ecclesia *passus & mortuus est.* Quare *& hic* Deo *magis obedire oportet, quàm hominibus, qui humana audacia ausi fuerunt mutare diuinam ordinationẽ, seu testamentum* Christi, *cùm dicat* Paulus, *ne hominis quidem testamentum licere cuiquam rescindere, quantò minus* Dei: *mos autem exhibendi alteram tantùm speciem* Laicis, *non admodum uetus est, à* Pontificibus Romanis, *&* Concilijs *primùm ante annos circiter trecentos inuectus in* Ecclesiam, *contra constitutionem* Christi, *ordinationem* Pauli, *& exemplum primitiuæ* Ecclesiæ. Item *contra* Gelasij *edictum, quo excommunicãtur, qui à calice abstinentes, partem alteram sumunt.* Arceantur *enim, inquit, ab integris, aut integra percipiant: quia eiusdem mysterij diuisio sine magno sacrilegio ad eos peruenire non potest.* Galat. 3.

DE CHRISTIANA VOcatione, Quæstio.

Placent ne Deo opera piæ uocationis? Respon.

Etiam. Quia Deus mandauit ea in suo uerbo, ad conseruationem politiarum & Ecclesiæ, ut in eis ipse agnoscatur, colatur & inuocetur. Ideo *sicut in superiore parte* Catechismi *descripta est uita spiritualis, seu iustitia interior, qua propriè cum* Deo *agimus: ita in sequentibus locis, de uocatione, cruce, & bonis operibus, continetur uita corporalis, seu iustitia exterior, hoc est, œconomia & politia, quibus propriè cum hominibus in hac uita agimus. Nam uult* Deus *conseruari ciuilem uitã, œconomias, politias & imperia, ut ex ijs colligatur* Ecclesia, *et cõseruetur uera doctrina inter homines. Sũt igitur cultus officia ciuilia, cùm referuntur ad hunc finem, ut obedientia præstetur* Deo, *exerceatur fides, & luceat confeßio in moribus.*

OBIECTIO, OPERA VOcationis *esse cultus.*

Deus uult adorari & coli in ueritate & spiritu, Ioan. 4.

Opera uocationis sunt ciuiles actiones corporis, non spiritus:

Ergo nõ sunt cultus Dei, nec placent Deo.

RESPONSIO.

Nego *consequentiam: Quia* Deus *non uult*

mente

biente tantùm, seu spiritu coli, sed etiam confeßione & externa obedientia: & opera piæ uocationis, ut defensio magistratus legitima, bella, iudicia, coniugium, & similia officia œconomiæ & politiæ, necessaria sunt ad ciuilem societatem cõseruandam, in qua cognoscatur doctrina de Deo, et filio eius Iesu Christo. Ideo hæc opera fiunt cultus Dei, cùm ad hunc finem, uidelicet ad gloriam Dei referuntur, & rectè à Petro spirituales hostiæ uocantur. 1. Petri 2.

ALIA, DE MAGISTRATV.

Multa fiunt iniusta in imperijs & iudicijs.

Ergo gerere imperium, & exercere iudicia, non est concessum Christiano, nec placent Deo magistratus, aut ciuilia opera.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est fallacia accidentis. Quia malè uitium personæ transfertur in ipsam rem, hoc est, politicum ordinem, qui à Deo constitutus est, & adiuuatur ad conseruationem humanæ societatis, & retinendam pacem. Vt D. Paulus ad Roma. 13. docet, inquiens: Quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.

DE CONIVGIO.

Paulus inquit: qui in carne uiuunt, placere Deo non possunt. Roma. 8.

Coniuges uiuunt in carne:
Ergo placere Deo non possunt.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: quia quatuor sunt termini in syllogismo. Nam uiuere in carne, non uocat Paulus esse coniugem, seu legitimè uti coniugali consuetudine, procreare sobolem, educare, instituere, & similia opera præstare necessaria ad œconomiam; sed sequi humanam rationem, & cupiditates illicitas ac uagas, extra coniugium, quod est institutio, approbatio, et ordinatio Dei, Gene. 2. Mat. 19. & 1. Corinth. 7.

DE CRVCE SEV AFFLICTIO*nibus, quæstio, An crux sit signum amoris Dei.*

Estne crux seu afflictio signum amoris Dei erga Ecclesiam, seu pos? *Resp.* Est. *Quia inquit Salomon Prouerb. 3. Quem diligit Deus, hunc corripit.* Et Paulus *ad Hebre.* 2. *Dominus flagellat omnem, quē recipit.* Et *Apoc.* 3. *inquit Deus:* Ego quos diligo arguo, & castigo.

CONTRA.

Saul non diligitur à Deo.
Saul à Deo punitus est.
Ergo crux seu pœnę nō sunt signum amoris Dei, sed iræ eius aduersus homines.

RES-

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia etsi poenæ generaliter sunt testimonia iræ Dei aduersus peccatum, tamen ideo Deus totum genus humanum ærumnis subiecit, & certis etiam poenis certa delicta punit, ut eos ad poenitentiam reuocet. Sicut inquit Ezechielis 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Cùm autem impij, ut Saul, & similes contemnunt uerbũ Dei, & in peccatis perseuerant, tum Deus abijcit eos in perpetuos cruciatus: sed poenitentes recipit, exaudit, & liberat, Sicut dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Matt. 11.

ALIA, SIT NE DEVS AVTOR crucis, seu calamitatis.

Estne Deus autor mortis, & aliarum calamitatum, quibus subiectum est humanum genus in hac uita? Respon.

Non principaliter, sed multæ aliæ sunt causæ.

Quæ?

Prima, lapsus primorum parentum, & corruptio humanæ naturæ propagatæ in posteros, sicut testatur Paulus, ad Roma. 5. inquiens: Per peccatum mors intrauit in mundum. Secunda est Diabolus ardens odio Dei & hominum. Tertia sunt propria cuiusq; delicta, seu errores, quos Deus uerè irascens peccatis, punit, Primùm, ut lapsos

retrahat ad pœnitentiam. Deinde, *ut cæteri cõmonefacti exemplis pœnarum, quæ alijs irrogantur,* Deum *timere discant, & mores regant diligentius.*

CONTRA.

Inquit Deus Esaiæ 45. Ego Dominus formãs lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.

Ergo Deus est principaliter causa pœnarum.

Respondeo per distinctionem : Deus *est autor pœnarum, tanquam causa puniens delicta, ut reuocet homines ad pœnitentiam, non ut qui delectetur pœnis seu interitu hominum, quos non ad mortem, sed ad uitam condidit.*

ALIA OBIECTIO.

Bonis bene esse debet.

Ergo Ecclesia seu pij affligi non debent, ut Abel, Esaias, Ieremias, & alij.

Respondeo ad antecedens, per distinctionem, Bonis bene esse debet, iuxta ordinationem ac uoluntatem Dei, *qui* Ecclesiam *in hac uita subiectam uult esse cruci, & onerari eam multis ærumnis.* Primum, *ut magnitudinẽ iræ* Dei *aduersus peccatum, quam cætera multitudo securè negligit, agnoscat.* Secundò, *ut afflictiones sint testimonia doctrinæ.* Tertiò, *ut sint testimonia immortalitatis*

litatis & uitæ æternæ, in qua bona reddentur pijs: Quartò, ut pij similes fiant imaginis filij Dei. Qintò, ut puniatur in sanctis etiam interior immundities. Sextò, ut appareat sanctos præstare obedientiam, non præsentium utilitatum causa, sed ut Deo seruiant, et ipsum celebrent. Septimò, ut appareat Ecclesiam non humanis consilijs & presidijs, sed ab ipso filio Dei capite Ecclesiæ & duce, diuina potentia colligi mirabiliter, defendi, & seruari.

QVAESTIO DE CONSOLAtionibus in cruce.

Quæ sunt consolationes Ecclesiæ in cruce seu afflictionibus?

Præcipuè sunt tres.

Quæ?

Prima, Ecclesiam seu pios non casu, sed sciente Deo affligi, sicut inquit Christus Matthæi 10. Omnes capilli capitis uestri numerati sunt: ne ergo timeatis: multis enim passeribus meliores estis. Secunda consolatio est, Deum ideo punire Ecclesiam, aut ut exerceat, et retrahat ad pœnitentiã, non ut perdat: aut ut exuscitet, ut crescant in nobis timor Dei, inuocatio, & cæteræ uirtutes. Sicut inquit Dauid Psal 118. Bonum est mihi, quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Tertia cõsolatio est promißio auxilij & mitigationis pœnarum, præsentia Dei, & liberationes. Iuxta

illud: *Inuoca me in Die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.* Et *Nahum* 1. *Bonus est Dominus, & confortans in tribulatione, & agnoscens sperantes in se.*

DE BONIS OPERIBVS,

Quæstio.

Súntne solùm bona opera, quæ in uerbo Dei, seu Decalogo mandantur à Deo? Respon.

Sunt. Quia inquit Deus Deutero. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito.*

CONTRA.

Christus Lucæ 10. inquit: Si quid prætereà supererogaueris, reddā tibi. Hic loquitur de operibus supererogationis, ut uocant, seu indebitis, hoc est, quæ spontè absq; mandato Dei suscipiuntur.

Ergo etiam cultus sunt, seu bona opera, quæ in uerbo Dei non exiguntur.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Christus *non loquitur apud* Lucam *in citato loco, de nostris operibus, sed de periculis doctorum* Ecclesiæ, *in quibus se promittit ipsis adfuturum opitulatorem, ut tolerare labores & ærumnas poßint.* Cultus *autem non esse opera, quæ sponte suscipiuntur, aut*

aut excogitantur ab hominibus, præter uerbum Dei, docet Christus Matthæi 15. cùm inquit: Frustra me colunt, docentes præcepta hominum. Et apud Esaiam cap. 1. reijcit Deus tales cultus, inquiens: Quis requisiuit hæc de manibus uestris?

ALIA OBIECTIO.

Virginitas, uenditio omnium bonorum, gratuita prædicatio, sunt bona opera, sed hæc non mandata tamen sunt in uerbo Dei omnibus specialiter.

Ergo quædam opera etiam sunt bona dicenda, quæ spontè suscipiuntur sine mandato Dei.

Respondeo ad Maiorē, per distinctionem: Virginitas seu cœlibatus, & similia opera nō sunt cultus per se, seu immediatè, sed mediatè, cùm ad pium & utilem finem referuntur: Vt cœlibatus, ad commodius inseruiendum uocationi, in ijs, qui donum castitatis habent: Venditio bonorum, cū postulat confeßio: gratuita opera prædicationis, cùm ea prodest Ecclesijs, ut pauperiores doctores liberalius ali poßint. Sicut Paulus gratis docuit, ne Ecclesias grauaret, & Pseudapostolorū, qui nihil poscebant, malitiæ occurreret. Sunt igitur his finibus propositis, hæc opera mandata à Deo, in ijs personis, quibus conueniunt. Tale opus etiam existimanda est saltatio Dauidis ante arcā

Domini, non cultus immediatè, sed mediatè, relata ad gloriam Dei.

ALIA QVAESTIO.

Súntne bona opera necessaria ad consequendam uitam æternam? Respon.

Sunt, tanquam fructus, qui iustificationem sequi debent. Quia ad hoc regeneramur in reconciliatione dato spiritu sancto, ut noua obediētia in nobis inchoëtur. Sicut ad Ephesios scriptū est: Ipsius opus sumus, conditi per Christum ad bona opera, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Et ad Romanos 6. Debitores sumus, ne secundum carnem uiuamus, sed secundum spiritum.

CONTRA.

Sola fide iusti sumus,
Ergo nō est necesse facere bona opera.

Respondeo ad antecedens: Sola fide sumus iusti, quantum attinet ad instrumentum, quo accipitur reconciliatio, quod instrumentum est fides. Item quantum ad meritum seu precium reconciliationis, quod est mors Christi, non opera nostra: non quantum attinet ad obedientiam, quæ necessariò regenerationem sequi debet. Neq; enim opera iustificatione excluduntur tāquam fructus, sed tanquam causa reconciliationis, quæ causæ non sunt opera seu merita nostra, sed beneficia Christi, quæ sola fides, non aliæ uirtutes quæcunq; apprehendit.

OBIECTIONES DE BONIS operibus, contra iustitiam fidei.

Fide sumus iusti, 1.
Fides est opus:
Ergo propter opera sumus iusti.

Respondeo ad Maiorem, per distinctionem: Fide sumus iusti, non quia fides est opus, seu uirtus, quæ sua dignitate mereatur remißionem peccatorum, sed quia apprehendit misericordiam Dei, seu quia est instrumentum, quo apprehendimus Christum mediatorem pro nobis interpellantem, propter quem æternus pater est nobis propitius.

Mala opera merentur æternas pœnas. 2.
Ergo bona opera merẽtur uitam æternam. Quia contrariorum contrarius est effectus.

RESPONSIO.

Valeret consequentia, si contraria essent pariter integra. Sed peccata seu mala opera integrè repugnant legi Dei: bona opera non satisfaciunt legi Dei: manet enim in sanctis imbecillitas, & multi uitiosi affectus. Item Diabolus sæpe impedit studium uirtutum, & inuocationem.

Iacobus inquit: Vides igitur quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide solùm. 3.

Ergo

Ergo non sola fide iusti sumus, sed etiam bonis operibus.

Respondeo ad antecedens, per distinctionem. Iacobus loquitur de fide; quæ est notitia historiæ: hac non sumus iusti. In dicto autem, Iustificamur fide gratis, Paulus loquitur de fide, quæ est fiducia promissæ misericordiæ, hac sumus iusti, hoc est, accepti Deo propter mediatorem, quem hæc fides apprehendit. Deinde iustificari Iacobo significat iustum approbari coram hominibus, habentem iustitiam operum. Sed Paulus iustificari uocat, iustum, hoc est, acceptum Deo, reputari coram Deo propter mediatorem gratis.

4\. **Paulus ait, 1. ad Corinth. 3. Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum.**

Ergo non sola fides iustificat, sed requiritur etiam dilectio, & cæteræ uirtutes, seu bona opera.

RESPONSIO.

Concedo argumentum: quia dilectio seu tota obedientia, et nouitas uitæ sequi debet reconciliationem tanquam fructus, & testimonium iustitiæ, sed tamen ut certa sit reconciliatio, statuendum est, non pendere eam ex conditione nostræ dilectionis, sed gratis dari propter Christum. Sicut inquit Paulus, ad Roma. 4. Ideo ex fide, ut certa sit promißio. Nec dilectio esse potest, nisi præcedat

fides

fides, qua accipimus remißionem peccatorum, et agnoscimus misericordiam, & statuimus nos recipi & exaudiri à Deo gratis propter mediatorem.

Christus inquit, Matthæi 19. Si uis in uitam ingredi, serua mandata dei. 5.
Ergo uita æterna datur propter nostram obedientiam, & bona opera sunt precium uitæ æternæ.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia Christus hoc dicto docet Pharisæum, legem integram obedientiam requirere, quam nemo præstat. Ideo opus esse omnibus mediatore Christo. Vult igitur eum agnoscere suam immunditiem, quòd legi non satisfaciat. Ideo inquit: Hoc fac, & uiues, quo dicto conditionem integræ obedientiæ requirit. Quasi dicat: Non satisfacis legi, Ergo lege non uiues, nisi ad mediatorem confugeris.

Vita æterna uocatur merces. Sicut inquit Christus, Matthæi 5. Merces uestra copiosa est in cœlo. 6.
Ergo uita æterna debetur pro operibus.

Respondeo per distinctionem: Vita æterna uocatur merces, quia compensat benefacta, etiamsi datur propter aliud, uidelicet propter Christum. Vt patrimonium est merces seu compensatio officio-

officiorum filij, etiamsi contingat propter aliud, uidelicet, quia filius natus est hæres. Ita datur uita æterna propter Christũ, & placet obedientia in reconciliatis, etiamsi legi non integrè satisfaciat. Sicut inquit Christus Ioannis 6. Hæc est uoluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam. Et D. Paulus ad Romanos 6. uocat uitam æternam donum Dei. Non sunt igitur bona opera meritum seu precium uitæ æternæ, quia imperfecta est impletio legis. Iuxta illud: Cùm omnia feceritis, dicite uos seruos esse inutiles. Lucæ 17.

DE OPERIBVS, VT VOcant, medijs, & traditionibus Ecclesiæ.

Súntne ieiunia, discrimina ciborum, & dierum, & similes ritus Ecclesiæ traditi ab hominibus, seruanda tanquam bona opera, seu cultus Dei? *Respon.*

Non. Quia inquit Christus, Matth. 15. Frustrà me colũt mandatis hominum. Et Paulus 1. ad Tim. 4. uocat ritus sine uerbo Dei institutos, doctrinas Dæmoniorum. Et Petrus in Actis, obiurgat eos, qui ceremonijs Mosaicis onerare gentes uoluerunt. Quare tantùm cultus Dei censenda sunt ea opera, quæ Deus mandauit in suo uerbo, quæ seruari uult, & se ijs coli. Sicut Ezech. 20. dicitur: Ego Dominus Deus uester, in præceptis meis ambulate.

OBIEC.

OBIECTIONES.

Ceremoniæ in Veteri testamento erant cultus Dei. 1.

Ergo etiam ritus Ecclesiæ in nouo testamento sunt cultus, quibus Deus honore afficitur.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia est dißimilitudo. Nam ceremoniæ Mosaicæ institutæ & ordinatæ erant à Deo. *Ceremoniæ* Papisticæ *non sunt mandatæ à* Deo, *sed excogitatæ ab hominibus, & assuuntur eis multi impij errores, ut opinio de remißione peccatorum, iustitia & cultu* Dei. Item *neceßitatis opinio, etiam extra casum scandali.*

Potestati necessariò obediendum est. 2.

Potestas Ecclesiastica instituit ritus Ecclesiæ.

Ergo ritus Ecclesiæ seruari debent.

Respondeo ad Maiorem, per distinctionem, quæ uera est de obedientia, quam docet Euangelium: *falsa est, cùm* Episcopi *præcipiunt ut impia doceantur uel fiant.* Nam *hic magis obediendum est, ut inquiunt Apostoli,* Deo, *quàm hominibus. Sunt autem per se impij ritus, abusus Missæ, inuocatio mortuorum, lex de cœlibatu.* Deinde *etiam quæ sua natura Adiaphora sunt, impia fiunt propter errores, uidelicet, q sint cultus* Dei, *hoc est, opera, quibus* Deus *iudicet se honore affici. Itē q*

mereantur

mereantur remißionem peccatorum , qui honor solùm meritis Christi debetur.

3. Inquit Christus Matthęi 23. Super cathedram Moysi sedent Scribæ & Pharisęi, omnia quæ dicunt facite.

Ergo obediendum est Episcopis Ecclesiæ in seruandis traditionibus humanis.

RESPONSIO.

Nego consequentiam: Quia loquitur Christus de ijs quæ in uerbo Dei mandata sunt, non de humanis traditionibus. Nam cauere iubet, cùm inquit: Cauete à fermento Pharisæorum. Et Matthæi 15. Frustra me colunt mandatis hominum. Et Paulus ait: Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit.

Mat. 16. Mar. 8. Lucæ 12. Galat. 1.

4. Christus inquit: Qui uos audit, me audit.

Ergo obediendum est in ritibus Ecclesiæ, traditis ab Episcopis, seu gubernatoribus Ecclesiæ.

Respondeo per distinctionem: Obediendum est in ijs, quæ iuris diuini sunt, non quæ pugnant cum Euangelio. Item in ijs quæ prosunt ad bonum ordinem, quos tamen ipsos ritus cùm aut necessitas urget, aut accedit superstitio, uiolare licet extra casum scandali. Quare abrogati huiusmodi ritus, ab Ecclesijs emendatis recipi non debent

tanquàm

tanquam cultus necessarij ad salutem, ne hostes Euangelij confirmentur, saucientur conscientiæ, & impediatur cursus Euangelij.

De paruis rebus nõ est dimicandũ. 5.

Traditiones de esu lactis, ouorum, carnium, & similium, sunt res paruæ.

Ergo de ijs non est dimicandum.

RESPONSIO.

Nego Minorem: *Quia traditiones de discrimine ciborum ac dierum, & similium, impediunt agnitionem Dei, & inuocationem. Sunt autem cognitio Dei, & inuocatio præcipui cultus Ecclesiæ, de quibus tantùm ex uerbo Dei constituendũ est, non ex humanis opinionibus.* Iuxta illud Ezechielis 20. *In præceptis patrum uestrorum nolite incedere: Nec idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus uester, in præceptis meis ambulate.*

RATIONES QVINQVE, CVR recipi Adiaphora non debeant ab Ecclesijs emendatis, cum opinione necessitatis, & cultus Dei.

Libertas Christiana retinẽda est. Iuxta illud Pauli: In libertate, in quã Christus uos uocauit, state. 1.

Doctrina de Adiaphoris tollit libertatẽ Christianam: quia cũ opinione necessitatis imponuntur & exiguntur ab Episcopis, tanquam cultus necessarij.

Ergo doctrina de Adiaphoris est reijcienda.

2\. Christus inquit: Frustra me colunt mandatis hominum. Item Paulus traditiones humanas de discrimine dierum & ciborum, uocat doctrinas dæmoniorum. Et inquit: Nemo uos iudicet in cibo & potu.

Mat. 15.
1\. Tim. 4
Col. 2.

Ergo Adiaphora nō sunt recipienda in Ecclesias.

3\. Scandala sunt fugienda.

Mat. 18.
Mar. 9.

Adiaphororum receptio parit scandala in Ecclesijs emendatis, quia reddit dubios infirmiores de tradita uera doctrina, & ueris cultibus.

Ergo Adiaphora non sunt recipienda.

4\. Receptio Adiaphororum in Ecclesijs emendatis confirmat aduersarios, sauciat infirmas mentes, & impedit cursum Euangelij.

Ergo Adiaphora reijcienda sunt, nec quicquam immutandum in Ecclesijs rectè institutis.

5\. Si aduersarij ueram doctrinam Euangelij nostrarum Ecclesiarum recipient, & nostræ Ecclesiæ Adiaphora recipient, sine opinione iustitiæ, neceßitatis, & cultus diuini.

At aduersarij ueram doctrinam non recipiunt, sed pertinaciter persequuntur & occidunt ueros doctores & professores ueræ doctrinæ.

Ergo

Ergo nostræ Ecclesiæ Adiaphora non recipient, sed in ea libertate stabunt, iuxta admonitionē Pauli, Gala. 4. in quam Christus nos suo sanguine asseruit & uocauit.

FORMVLA CONFESSIOnis Scholasticæ.

Quomodo confiteris peccata tua ministro Ecclesiæ, cùm es usurus Sacramento Altaris, seu cœna Domini? Reuerenter accedo ministrum Ecclesiæ, & dico sic:

Venerabilis Domine, oro uos per Christum, ut audiatis confitentem me, peccata mea, & absolutionem eorum mihi annuncietis. Cumq; ille respondet, libenter, Recita, Pergo hoc modo:

Ego miser homo in peccatis conceptus, & natus filius iræ, confiteor me coram Deo omnium peccatorum esse reum, & æternæ morti obnoxium propter peccata, quibus legem Dei multipliciter transgressus sum, Præcipuè autem confiteor coram uobis, quòd Deum non uerè timui, aut dilexi, neque ei ex animo confisus sum, quòd Deum non inuocaui, non oraui, uerbum eius non diligenter audiui & didici, quòd parentibus & præceptoribus meis non ex animo obtemperaui, quòd sæpe aduersus meos condiscipulos, & alios, ira commotus sum, & eis malè precatus, quòd sæpe obscœnè locutus sum, quòd

aliena appetiui & abstuli, quòd mentitus sum & proximo meo obtrectaui, quòd negligenter studia mea curaui, tempusq; ocio inutiliter perdidi, & sæpe contra leges scholæ nostræ peccaui, & alia multa mala perpetraui, quæ Deus *non ignorat, & puniturus quoq; est in impœnitentibus.* Pœni*tet autem me horum omnium, & credo ea mihi remitti gratis à* Deo *propter ipsius filium.* Qua*re oro uos, ut remißionem peccatorũ mihi ex uerbo* Dei *annuncietis,* A*nnitar pro uiribus, adiuuante me* Deo, *ut posthac uiuam sanctius.*

Quid respondes, cùm minister Ecclesiæ ex te quærit, utrum suam remissionem, non suam, sed Dei esse, credas?

Re*spondeo,* V*enerabilis* Domine, *ita credo, iuxta dictum* C*hristi:* Q*uorumcunq; peccata remiseritis, remittuntur eis, & quorumcunq; retinueritis, retenta sunt ijs.* Ioan. 20.

Quid dicis, cùm à ministro Ecclesiæ discedis? Dico *sic:* A*go uobis gratias,* V*enerabilis domine, quòd ex uerbo* Dei *me instituistis, & conscientiam meam de remißione peccatorum confirmastis.*

FORMVLA COMMENDANdi *sese* Deo *mane & uesperi.*

MANE.

Quomodo te commendas Deo mane è lecto surgens?

Surgens

Surgens è lecto, signo frontem sancta cruce, ac dico: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Deinde flexis genibus, uel erectus, recito Decẽ precepta, Symbolum Apostolicũ, & Orationem Dominicam, quibus addo et hanc precatiunculã:

Ego tibi, ò Pater cœli & terræ, per Iesum Christum dilectum tuũ filium, ago gratias, quòd me hac nocte ab omni incommodo & periculo conseruatum, custodieris, teq; rogo, ut hoc quoque die mei curam uelis agere, & cauere, ne in peccata aut alia mala conijciar, ut tibi & uita, & facta mea placeant omnia. Ego enim me, corpus meum, & animam meam, cum omnibus alijs, quæ habeo, in tuas manus commendo, Sanctus tuus angelus nusquam à me discedat, ne quid Satan in me posſit. Amen.

VESPERI.

Quomodo te commendas Deo uesperi cubitum abiens?

Primò omnium signo me sancta cruce, & lectum conscendens, dico: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Postea flexis genibus, uel erectus, pronuncio Decem præcepta, Symbolum Apostolicum, & Orationem Dominicam, quibus addo & hanc precatiunculam:

Ego tibi, omnipotens & misericors

Pater, per Iesum Christum dilectum filium tuũ, gratias ago, quòd me hoc die per gratiam tuam defenderis, teq́; rogo, ut mihi omnia peccata condones, quibus te hoc die offendi, ut item & hac nocte mei curam agere & me defendere uelis. Ego enim me, corpus meum, & animam meam, cum omnibus alijs, quæ habeo, in tuas manus commendo. Sanctus tuus angelus nusquam discedat à me, ne quid Satan in me possit, Amen.

FORMVLA CONSECRANDI *Mensam, & à sumpto cibo, agendi Deo gratias.*

CONSECRATIO MENSAE.

Quomodo consecras Mensam?

Cum modestia ad mensam accedo, & complicatis manibus, sic oro:

Psa. 145. Oculi omnium in te sperant (Domine) & tu das escam illorum, in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Post addo orationem Dominicam, & hanc precatiunculam:

Domine Deus cœlestis Pater, benedic nos, & hæc dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi, per Iesum Christum, Dominum nostrum, Amen.

GRA-

GRATIARVM ACTIO.

Quomodo Deo agis gratias à sumpto cibo? *Similiter ad mensam modestè aßisto, & complicatis manibus, sic oro:*

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, Qui dat escam omni carni, Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neq; in tibijs uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Psa. 147

Post addo orationem Dominicam, & hanc precatiunculam:

Gratias agimus tibi, Domine Deus Pater, per Dominum nostrum Iesum Christum, pro uniuersis beneficijs tuis, qui uiuis & regnas in secula, Amen.

Adijcio etiam interdum, cùm uacat, sententiā aliquam, siue locum scripturæ, quem ex proxima concione sacra obseruatum memoriæ mandaui.

ORATIO AD CHRISTVM *pro consequenda docilitate.*

Quomodo inuocas Deum pro do-

cilitate consequenda, mane in Scholam abiens?

Dico hanc precatiunculam:

O Domine Iesu Christe, qui teneræ ætati docilitatis commodum addidisti, adde, quæso, ad naturæ propensionem, auxilium gratiæ tuæ, ut literas ac disciplinas liberales citius perdiscã, sed tuæ gloriæ seruituras, quarum adminiculis adiuta mens mea, plenius assequatur cognitionem tui, quem nosse, fœlicitatis humanæ summa est, utq; ad tuæ sanctissimæ pueritiæ exemplum, indies profici am ætate, sapientia, gratia apud Deum & homines, Amen.

Quomodo Deo agis gratias de profectu in studijs, uesperi è Schola domũ rediens?

Dico hanc precatiunculam:

Ego tibi, benignissime Domine Iesu Christe, qui fons & dator es omnis sapientiæ & intelligentiæ, sine quo, omnia nostra studia successu carent, ago gratias, quòd mentem meam tua gratia illuminasti, ad percipiendum honestas disciplinas, da, quæso, ut, quicquid hoc die bonarũ literarum addidici, fideli id quoq; memoria retineam, & in usum me

lioris

lioris uitæ, profectus literarum, imitando traham, ut indies pietate, honestis moribus, & bonis literis, fœliciter promouens, cõparem mihi doctrinam, qua uti possim, ad gloriam tui nominis illustrandam, & utilitatem proximi augendam, atq; meam ipsius salutem.

Quomodo inuocas Deum quotidie in omni necessitate?

Dico sic:

Omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & conseruator, cum Filio tuo & Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, iudex, & fortis, miserere mei, propter Iesum Christum filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam mirando & inenarrabili consilio, sanctifica & rege cor meum Spiritu sancto tuo, ut te æternum & uerum Deum, qui te in Filio tuo Iesu Christo nobis patefecisti, uerè inuocem, uerè tibi gratias agam, & obtemperem secundum tuam uoluntatem, in uero timore & uera fiducia erga te, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

PRECATIVNCV-
larum finis.

QVAESTIVNCVLAE METHODICAE DE CHRISTIAno Catechismo.

Quem te profiteris? *Hominem Christianũ.*

Cur hominem? *Quia Deus me conceptum & natum in peccato, generauit animal ad cœlũ excitatum, rationis, cogitationis, & sermonis particeps.*

Cur Christianum? *Quia baptizatus in mortem Christi, regeneratus, & à peccato repurgatus, renunciaui peccato, diabolo, carni, & concupiscentijs eius, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*

Vnde hoc tibi constat? *Ex uerbo Dei, super quod, tanquam solidam petram, Christiana Ecclesia fundata est.*

Vnde ea nomen habet? *A Christo, filio Dei & hominis, capite suo.*

Qua de causa? *Quia filius Dei, factus homo, nobis iratum Deum patrem propter peccatũ, morte sua reconciliauit, & nos à peccato, morte, Satana, & ab æterna damnatione redemit, iustificauit, & sanctificauit.*

Qua de causa genus humanũ in tã horrendũ, & exitiosum malũ coniectũ est?

Propter

Propter peccatũ Adæ primi parẽtis nostri, quod adeo nos corrupit, ut nec intelligere, nec cogitare ex nobisipsis poßimus ea, quæ sunt spiritus Dei, *ad* Ro.5. *Per unum hominem peccatum in mundũ intrauit, ac per peccatum, mors.* Et 1.Cor.3. Nõ *sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex* Deo *est.*

Quid? tam perniciosa res est peccatũ? *Nihil est eo perniciosus, nihilq; uitandum magis. Nã peccatum grauißimè* De*um offendit, et causa est mortis, & omniũ calamitatum, quibus humanũ genus oppressum est, Sicut* Paul*us ait ad* Roma.5. *Propter peccatum mors peruasit in omnes homines.* Et *Psal.* 38. *Propter iniquitatem corripis filios hominum.*

Quanam re motus est Deus, ut per proprium & unicum filium, humanũ genus à peccato, morte, & æterna damnatione liberaret? *Sola misericordia sua, gratia, & amore erga perditum humanum genus, ad* Tit*um* 3. *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit* Deus.

Vnde hoc tibi constat? Ex *uerbo* Dei *nobis in* Catechi*smo summatim tradito.*

Quid est Catechismus? Me*thodus* Chri*stianæ doctrinæ, in qua rudes* Chri*stiani ad ueram pietatem uiua uoce instituuntur.* Nam e*rant olim in* Eccle*sia doctores, quorum id fuit*

fuit proprium munus, ut erudirent nouitios, & ab illis dictatam summam doctrinæ Euangelij reposcerent, atq; explorarent rudiores, priusquā ad Sacramentum Baptismi admitterētur, idq; fiebat certa quadam ac simplici forma docendi, quæ Catechismus uel Catechesis dicebatur.

Vnde dicitur Catechismus? A Græco uerbo κατηχέω, quod est, uoce instituo seu doceo. Nam olim nefas erat mysteria literis committere, sed uoce tradebantur. Hinc deducitur & κατηχιστὴς, qui uiua uoce alios docet, & κατηχούμενος, qui hoc modo instituitur in elemētis Christianæ religionis.

Quot sunt partes Catechismi? Quinq;.

Quæ? Decalogus, Symbolum Apostolicum, Oratio Dominica, Doctrina de Pœnitentia, Confeßione & Absolutione, Et doctrina de utroq; Sacramento, Baptismi, & corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi, seu cœnæ Domini, quibus rectè additur doctrina de Vocatione, Cruce, & bonis Operibus.

Quis est usus Catechismi? Vt ex eo discamus methodum seu summam Christianæ doctrinæ, qua bene primùm instructi, reliquam scripturam sacram melius intelligamus. Nam Catechismus summatim comprehendit quicquid in sacris literis traditur de Lege, de Fide, de bonis operibus, cæterisq; rebus ac doctrinis utilibus, & ad salutem

lutem necessarijs. Ideo & omnes sacræ cōciones, omnia Euangelia, omnes Epistolæ totius anni, adeoq; uniuersa sacra scriptura ad aliquam partem seu doctrinam Catechismi, tanquam ad locum cōmunem, referri debet.

DE PRIMA PARTE CAtechismi, De Decalogo, seu Lege.

Quæ est pima pars Catechismi? Decalogus.

Quid est Decalogus? Sancta lex Dei, in decem præcepta distincta, quibus deus præcipit, quales erga se & proximū nostrū, esse debeamus.

Quid est Lex? Tristis doctrina Dei, qua Deus præcipit, quales erga se & proximum nostrū, ex intimo cordis nostri affectu, & externis operibus, esse debeamus, & Legem seruantibus, benedictionem promittit, non seruantibus, maledictionem æternam comminatur. Et est Lex altera pars, in quam uniuersa scriptura, Vetus & Nouum testamentum diuiditur, Altera pars uocatur Euangelium.

Cur Lex est tristis doctrina? Quia peccatum, iram, & iudicium Dei reuelat, ac auget, Roma. 3. & æternam damnationem nobis ostendit.

Quod contra damnationem legis, et peccatum, datum est à Deo remedium? Euangelium.

Quid est Euangelium? Læta Dei annun

tiatio de Christo, quòd misericors Deus secundum promißionem suam, per Christum, nobis pœnitentibus & credentibus in Christum, peccata nostra tegit, remittit, & non imputat, ac æternã salutem donat.

Qua de causa? *Propter solam suam misericordiam, gratiam, & amorem erga perditum humanum genus, idq́; propter fidem in Iesum Christum, non propter ulla nostra opera, quæ etiam filij Dei, per fidem in Iesum Christum iustificati, & coram Deo accepti, facimus.*

Quomodo diuiditur Decalogus? *In duas tabulas, Priorem & posteriorem.*

Quæ est prior tabula? *Quæ prima tria præcepta continet.*

Quæ sunt ea?

PRIMVM.

Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me.

SECVNDVM.

Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum. Non enim habebit Deus insontem eum, qui nomen Domini Dei sui in uanum assumpserit.

TERTIVM.

Memento, ut Diem Sabbati sanctifices.

Quid docet prior tabula? *Cultus, quos*

debemus

debemus Deo creatori nostro.

Quos cultus ei debemus? *Interiores, ut, uerum timorem, fiduciam, & amorem. Exteriores, ut, nominis Dei inuocationem, confeßionem, & gratiarum actionem, uerbiq; eius studium, & prædicationem, Sacramentorum item usum, & exercitia, quibus ministerium uerbi Dei exornatur, & conseruatur inter homines.*

Quæ est posterior tabula? *Quæ septem postrema præcepta continet.*

Quæ sunt ea?

QVARTVM.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus super terram.

QVINTVM.

Non occides.

SEXTVM.

Non mœchaberis.

SEPTIMVM.

Non furtum facies.

OCTAVVM.

Non loquêris contra proximum tuum falsum testimonium.

NONVM.

Non concupisces domum proximi tui,

DECIMVM.

Non

Non desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

Quid docet posterior tabula? *Quid debeamus proximo nostro.*

Quid ei debemus? *Dilectionem, seu charitatis officia, quibus proximus noster iuuatur, quæ opera fructus sunt fidei, & cultus qui* Deo *unicè placent.* Nam *ipse ea præcipit ad conseruandam humanam societatem, ut in ea alij alios docere de* Deo, *& de cæteris rebus bonis poßint.*

Quid exigit primum præceptum? *Verā notitiam* Dei, *perfectam obedientiā cordis erga* Deum, *uerum timorem & amorem* Dei, *firmā fiduciam erga* Deum *propter* Christum, *in secundis rebus gratitudinem, in aduersis patientiam, quæ opera atq; uirtutes sunt interiores, uereq; spirituales cultus* Dei, *pro quibus* Deus *præmia æterna, & corporalia, suis promittit ac donat.*

Quid prohibet? *Ignorantiam* Dei, *negligentiam, contemptum & odium* Dei, *diffidentiam, & dubitationem de misericordia* Dei, *ingratitudinem erga* Deum, *impatientiam in cruce & afflictionibus, inuocationem sanctorum, propriæ iustitiæ, potentiæ, & sapientiæ fiduciam coram* Deo, *propter quæ peccata* Deus *mundum infinitis & maximis calamitatibus affligit.*

Quid exigit secundum præceptum?

Nominis

Nominis Dei inuocationem & glorificationem, gratiarum actionem, uerbi Dei prædicationem, & confeßionem, pia uota, & iusiurandum pium, quod cedit in gloriam Dei, & defensionem proximi, quæ Opera sunt cultus Dei exteriores, quos solum pij Deo præstant. Sunt enim proprij effectus fidei.

Quid prohibet? Nominis Dei prophanationem, idololatriam, doctrinam & cultum impiũ, precandi, ac docendi uerbi Dei, confitendiq; eius negligentiam, dubitationem de inuocando Deo, imprecationes, siue maledicta in proximum, periuria, & consuetudinem sæpe iurandi, sine graui causa, & deliberatione.

Quid exigit tertium præceptum? Sedulum uerbi Dei studium, meditationem, prædicationem, reuerentiam & conseruationem ceremoniarum, quæ sunt diuinitus traditæ, propter ministerium uerbi diuini, quod ceremoniæ publicæ ornant, & commendant. Nam sanctificare diē sabbati, est ipsum in res sanctas collocare, quod fit celebrandis publicis ceremonijs, & audiendo & prædicando uerbo Dei.

Quid prohibet? Contemptum & negligentiam audiendi uerbum Dei, & celebrandi ceremonias publicè institutas, cuiusmodi sunt dies festos impendere cultui diuino, audire, discere, & legere uerbum Dei, psallere & orare publicè, uti

ſacramentis, & exercere ſe ipſum, et alios, in pietatis doctrina.

Quid exigit quartum præceptū? Obedientiam & honorem erga parentes, magiſtratus, concionatores, præceptores, cognatos, dominos noſtros, omnesq; eos, qui nobis loco parentū præfecti ſunt, idq; non tam propter pœnam, quàm propter Deum ipſum, qui magiſtratus & omnis imperij eſt autor & conſeruator, noſq; ſuperioribus ſubiecit, obedientes multis præmijs auget et ornat, eos autem, qui non obtemperant, ſed ſunt rebelles, grauiter punit, etiamſi magiſtratus pœnam interdum effugiant aliqui.

Quid exigit à parentibus? Vt ſuos liberos honeſtè educēt, diſciplina coërceant, alant, et bonis literis, inprimis doctrina pietatis curent ab infantia inſtitui, ut per eos gloria Dei innoteſcat & propagetur ad poſteros, & fœliciter adminiſtrentur reſpublicæ, & ſocietas humana conſeruetur.

Quid à magiſtratu exigit? Vt ſubditos ſua ſapientia et iuſtitia defendat, legibus, iudicijs, & pœnis, non ſolùm, ut in pace uiuamus, ſed ut homines inſtituantur ad pietatem, & cognitionē Dei. Ideo curare debet magiſtratus, ut rectè educetur & inſtituatur iuuentus, & ut ſcholæ floreant, & doctoribus ſuppetant ſumptus neceſſarij, & ſufficientes.

Quid

Quid prohibet? Inobedientiam erga parentes, & praeceptores nostros, et alios, quorum fidei sumus commißi, contemptum erga magistratum nostrum, & leges publicas. Parentibus prohibet negligentiam in educandis & instituendis liberis, ac nimiam indulgentiam. Magistratui uerò prohibet negligentiam in alendis doctoribus Ecclesiae & scholarum, & republica administrāda socordiam.

Quid prohibet quintum? Homicidia, uindictam priuatam, cupiditatem nocendi alijs, iram, odium proximi, maleuolentiam, crudelitatem in puniendo, amarulentiam cordis, desertionem eorum, quos iuuare aut tueri debebamus. Nō solùm enim is occidit, qui alijs uiolentam manum infert, sed etiam qui, si poßit, uim illatam non propulsat.

Quid exigit? Mentem à sanguine & caede alienam, mansuetudinem animi, placabilitatē, clementiam, & aequitatem in puniendo, misericordiam, dißimulationem, & condonationem iniuriae, & uoluntatem auxiliandi proximo in omnibus malis, ac uitae periculis.

Cur addidisti, uindictam priuatam? Quia uindicta publica, quam magistratus legitimè sine priuata cupiditate exercet, est opus, quod fit mandato & autoritate Dei. Ideo ea uindicta nō

est prohibita, quia Magistratus est ordinatio diuina, qua uti licet Christianis.

Est ne omnis ira prohibita? Non, sed ea tantum, qua priuata cupiditate incitati, temere irascimur proximo. Ira autem uocationis, qua irascimur uitijs, eaq; punimus, & qua defendimus gloriam Dei & iustitiam, non est prohibita, sed est uirtus ac cultus, qui placet Deo, eumq; à nobis requirit.

Quid prohibet sextum præceptum? Adulterium, scortationem, lasciuiam, flammas libidinis, cogitationem, & uerba de rebus obscœnis & uanis, occasionem libidinis, ut sunt otium, intemperantia in uictu, somnus & cultus corporis immodicus, quæ peccata iram Dei imprimis commouent, & Deus ea punit corporalibus & æternis pœnis. Etsi autem hæreant semper in animis etiam piorum concupiscentia & uitiosi affectus, qui incitant ad libidinem, tamen condonantur ijs, qui repugnant in timore Dei, & credunt in Christum, iuxta hoc Pauli ad Roma. 8. Nulla igitur nunc est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum.

Quid exigit? In genere ab omnibus hominibus puros cordis affectus & cogitationes, continentiam, & castitatem in omnibus membris, dictis, factis, & gestibus, sobrietatem, ieiunia, collo-

quia

quia pia, et meditationes de uerbo Dei, laborẽ & pia exercitia, quibus incendia libidinum sedantur. Ab ijs uerò, qui uruntur flammis libidinũ, exigit piam & legitimum coniugium, inter coniuges mutuum amorem, reuerentiam, coniugalem consuetudinem, & fidem.

Quæ est pœna adulterij & fornicationis? Ira Dei, cæcitas mentis, mala & irrequieta conscientia, ignominia, morbi fœdi & exitiosi, bonorum profusiones, interitus animæ, & hæreditatis uitæ æternæ priuatio. Quare pij adolescentes orabunt sedulò Deum, ut illicitas uoluptates & libidines fugere ipsis liceat, ne iram Dei in se concitent. Nam hæc est uoluntas Dei, ut diuus Paulus ait, sanctificatio nostra, ut abstineamus à scortatione, ut sciat unusquisq; nostrum, uas suũ poßidere in sanctificatione & honore, 1. Thes. 4.

Quid prohibet septimum? Omnem illicitam alienæ rei usurpationem & appetitionem, rapinas, fraudes & dolos in contractibus, auaritiam, ac sumptus inutiles, nimiam solicitudinem in quærendo uictu, & diffidentiam de alimonia uitæ, mendicitatem non neceßariam, otium, & ignauiam in obeunda uocatione.

Quid exigit? Legitimum usum rei propriæ, laborem, parsimoniam, diligentiam in officio peragendo, & facultatibus parandis & conseruandis, animum sorte sua contentum, & libe-

ralitatem erga alendos pauperes, studiosos literarum, & ministros Ecclesiæ.

Quid prohibet octauum? Omne testimonium & consilium falsum in iudicijs, aut odio proximi, aut spe lucri, aut in gratiam alicuius susceptum, mendacia perniciosa alijs, ac uana, maledicentiam, sermones sinistros, quibus aliorum existimatio, ac fama læditur, sinistras suspiciones & interpretationes rectè seu probabiliter dictorũ ac factorum, falsas accusationes & defensiones, uiolationes pactorum & promissorum in conuẽtis pijs & contractibus, adulationem, & simulationem in amicitia, moribus, & omni uita, obtrectationes, omnemq; linguæ petulantiam, famæ ac nomini alterius perniciosam.

Quid exigit? Veritatem in iudicijs & consilijs dandis, fidem in pactis & contractibus, innocentiæ ac famæ proximi defensionem, honestam de alijs opinionem, ingenuitatem & candorem in moribus & colenda amicitia, deniq;, uirtutem omnium pulcherrimam, ueritatem, in omnibus dictis ac factis, seu negotijs uitæ.

Quid prohibent nonum & decimum præceptum? Prohibent non solùm externa peccata contra legem Dei, sed etiam interiores affectus, & concupiscentiam interiorem animi, seu inclinationem naturalem ad peccandum, hoc

est

est, peccatum seu uitium originis, quod facit, ut non poßimus legi Dei perfectè satisfacere, sed opus habeamus iustitia fidei, qua Deus nos iustos reputat propter filium suum Christum, cùm in ipsum credimus.

Quid exigunt? *Cordis nostri munditiem, affectus consentientes legi Dei, & perfectam obedientiam erga Deum, in omnibus rebus agendis, omittendis, & perferendis, non respectu alicuius præmij consequendi, aut pœnæ effugiendæ, sed tantùm propter Deum. Nam hic finis esse debet omnium præceptorum Decalogi, ut in ijs Deo præstemus obedientiam, atque ita opera etiam secundæ tabulæ fiunt cultus Dei, cùm in omnibus operibus Deum intuemur, et ei seruire studemus.*

Dic summam præceptorum Decalogi. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & proximum tuum, sicut teipsum. Matt. 22. Et, hoc est præceptum Dei, ut credamus in nomine filij eius Iesu Christi, et diligamus nos inuicem, priore Ioan. 3.*

Quid Deus promittit ijs, qui faciunt opera Decalogi, & quid minatur ijs, qui ea non faciunt? *Vtrumq; continetur in his uerbis Deuteronomij 5.*

Ego ſum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem, his, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in multa milia, diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.

Quid hæc uerba continent? *Comminationem & promißionem Dei, Decalogo ſeu legi annexam. Nam comminatur hîc Deus æternam damnationem & pœnas temporales omnibus, qui uiolant hæc præcepta, ſicut ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro hoc, ut faciat ea, Deut. 27. et maledicti, qui declinãt à mandatis tuis, Pſalm. 118. Contrà promittit præmia ſpiritualia & corporalia, perpetuamq; fœlicitatem in conſilijs & rebus gerendis, omnibus illis, qui in his præceptis uoluntati eius obtemperant.*

Quomodo Deus præmia nobis reddit, cùm lex perfectam obedientiam requirat, quam nemo hominum præſtat? *Deus approbat inchoatam obedientiam in nobis propter Chriſtum, etiamſi legi non ſatisfaciamus. Neq; enim noſtra obedientia & opera placent Deo propter propriam dignitatem, ſeu perfectionẽ impletæ legis, ſed placent in his, qui ſunt Deo reconciliati per fidem in Chriſtum, etiamſi legi per omnia non ſatisfaciant.*

Quis eſt uſus Decalogi? *Is triplex eſt.*

Quis

Quis est primus? Vt externa disciplina coërceātur iniusti & carnales, ne securè ruant in omnia scelera. Paulus priore ad Timo. 1. Lex est iniustis posita. Hic usus etiam ad iustos rudiores pertinet, quibus opus est institutione, doctrina, & diligentia coërcendæ carnis, sicut pueris, adolescentibus, & uulgo.

Quis est secundus? Vt ostendat nobis peccata nostra, iram, & iudicium Dei aduersus peccatum, & æternam damnationem, quia legem Dei non implemus, non ut damnemur, sed ut intellecta nostra damnatione, nos cogat ad Christum, qui pro nobis legem impleuit. Ad Roma. 3. Per legem est cognitio peccati: ad Gala. 3. Lex fuit pædagogus noster ad Christum, ut ex fide iustificaremur. Ad Roma. 10. Christus est perfectio Legis, ad iustificationem omni credenti. Ideo Lex utilis est tripliciter his, qui sunt iustificati fide, Primò, quod ad doctrinam attinet, Nam opus habent uerbo, quo admoneantur, qui cultus, qualia opera placeāt Deo, ne excogitent nouos cultus sine uerbo. Secundò, quod attinet ad uetustatem carnis, quam lex coërcet & arguit. Tertiò, quod ad obedientiam attinet, quæ necessaria est propter ordinationem, & uoluntatem Dei, qui uult, ut creatura sibi obediat, Sicut Christus inquit: Hoc est mandatum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut ego dilexi uos, Io. 15. Etsi antem Euangelium quoq; arguat

peccatum, ad Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, simul tamen affert pœnitentibus remißionem peccatorum propter Christum, gratis, hoc est, sine ulla conditione nostrorum operum seu impletione legis. Roma. 3 Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem, in sanguine ipsius. Lex uerò requirit conditionem nostræ dignitatis, seu operum, Nam inquit: Qui fecerit ea homo, uiuet in eis. Quare lex tantùm ostendit peccata, non tollit: accusat & damnat conscientias, non liberat à pauoribus peccati, nec iustificat hominē coram Deo, cùm nemo satisfaciat legi.

Quis est Tertius? Vt doceat iustificatos, quæ sint facienda bona opera, & uetustatem carnis in eis mortificet, ut in nouitate uitæ ambulent, quemadmodum Diuus Paulus docet ad Romanos sexto: Sepulti sumus unà cum Christo per Baptismum in mortem, ut, quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Quomodo impletur Decalogus? Cū Deus nos propter fidem in Christum iustos reputat, impletionem legis sui filij nobis donat, & Spiritum sanctum nobis impertit, qui nouos & spirituales motus creat in nobis, ut iam libeat nobis

obedire

obedire legi propter Deum. Quia enim cognoscimus misericordiam, gratiam, & amorem Dei erga nos in Christo filio ipsius, libenter uicißim nostram obedientiam Deo præstamus in his præceptis. quæ tamen nostra obedientia est imperfecta, nec placet Deo, nisi propter fidem in Christum, sine quo lex nec fieri potest, nec inchoari quidem.

Iustificantur ne igitur homines per opera legis coram Deo? Non. Lex enim Dei spiritualis est, Roma. 7. & à nobis exigit perfectam obedientiam erga Deum, quam nemo hominum suis uiribus in hac tam corrupta natura, præstare potest, unde Psal. 142. ait: Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens, Et Paulus ad Gala. 3. Si per Legem est iustitia, Christus frustra mortuus est. Placent tamen bona opera Deo, propter fidem in Iesum Christum, & ea à iustificatis requirit, tanquam fructus & testimonia fidei, eaq; & in hac uita, & futura ingentibus præmijs exornat.

Propter quid ergo iustificantur homines coram Deo? Propter solam fidem in Iesum Christum, seu merita ipsius, paßionem, & mortem, quæ cùm fide apprehendimus, iusti sumus corã Deo, hoc est, accepti Deo, sicut testatur Paulus ad Ro. 3. cũ ait: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, et super omnes, qui credũt.

Item

Item: Omnes peccauerunt, et destituuntur gloria Dei, Iustificantur autem gratis per illius gratiā, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem, interueniente ipsius sanguine &c. Et, Arbitramur fide iustificari homines absq; operibus Legis. Nō, quòd fides sit qualitas quædam seu uirtus, aut res digna in nobis, propter quam iusti reputemur, sed quia est fiducia, qua apprehendimus Christū mediatorem nostrum, propter quem solum iusti sumus, & uitam æternam consequimur gratis.

Cur ergo facienda sunt opera legis? Primò, ut conādo seruare legem, experiamur, et agnoscamus nostram imbecillitatem, & corruptionem nostræ naturæ. propter quam legem implere nostris uiribus non possumus, ut ita de nobis desperantes, confugiamus ad Christum, qui pro nobis legem impleuit, eumq; rogemus, ut suam impletionem legis nobis impertiat ac donet. Secundò, ut bonis operibus Deo patri nostro obedientiā nostram præstemus, eumq; glorificemus, uocationem nostram certam faciamus, & proximum nostrum iuuemus.

Suntne liberati à Decalogo seu Lege, qui sunt iustificati? Liberati sunt à Lege, non, ut ea ab ipsis non fiat, sed, ne credentes in Christum accuset & damnet. Deus enim peccata illis non imputat, sed gratis remittit propter Christum

ſtum, quem fide apprehendunt, & donat illis Spiritum ſanctum, quo uiuificantur, reguntur, ac defenduntur aduerſus ſæuitiam diaboli, & ex omnibus periculis liberantur. Sunt igitur Chriſtiani liberati, non ab obedientia legis, quam ultro iam, accepto Spiritu ſancto, præſtant, ſed à maledictione legis, Gal. 3. Chriſtus nos redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Qui non agunt pœnitentiam, nec credunt in Chriſtū, ſunt ſub lege, & ab ea accuſantur & damnantur. Paulus 1. Timo. 1. Iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſto.

DE SECVNDA PARTE Catechiſmi, de Symbolo Apoſtolico, ſeu Chriſtiana fide.

Quæ eſt ſecunda pars Catechiſmi? Symbolum Apoſtolicum, ſeu Chriſtiana fides.

Quid eſt Symbolum Apoſtolicū? Summa eorum, quæ ad æternam ſalutem conſequendam Chriſtianū ſcire et credere de Deo oportet.

Quid eſt Chriſtiana fides? Certa fiducia in Deum, qua ſtatuimus, Deum nobis eſſe placatum, gratis propter Chriſtū. Vel, Fides eſt certa fiducia miſericordiæ Dei, promiſſæ propter Chriſtum, qua conſequimur remiſsionem peccatorum, iuſtificationem, Spiritum ſanctum, & uitam æternam, gratis propter Chriſtum.

Quomodo conſequimur iuſtificationem? Cùm perterrefacti ex lege, agnitione iræ

Dei

Dei aduersus peccata, credimus promißioni Dei, quòd propter Christum gratis donetur nobis remißio peccatorum, imputatio iustitiæ, Spiritus sanctus, & uita æterna.

Quomodo diuiditur Symbolũ apostolicum? *In tres partes.*

Quæ est prima pars?

Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Quæ est secunda pars?

Et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominũ nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna. Tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Quæ est tertia pars?

Credo in Spiritum sanctum. Sanctã Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Et uitam æternam, Amen.

Quomodo distinguuntur hæ tres partes? *Prima agit de Creatione, conseruatione, & gubernatione omnium rerum, & quid de Deo*

patre

patre credendum sit. Secunda agit de Redemptione, & quid de DEO filio Iesu Christo Redemptore nostro credendum sit. Tertia agit de sanctificatione, & quid de Deo Spiritu sancto, & de Ecclesia Christiana credendum sit.

Quis est usus Symboli apostolici? Vt ex ipso fidem in Deum cōcipiamus, qua fide à peccatis mundemur, à morte & æterna damnatione liberemur, iustificemur, & legem Dei impleamus. Nam primò donat nobis Deus impletionem legis sui Filij, ac reputat nos iustos propter fidem in Christum, non aliter, quàm si ipsi per omnia legi satisfecissemus. Deinde comitatur hanc imputationem effectus siue conatus implendi legem, seu inchoata obedientia erga legem, siue uitæ renouatio.

Quot sunt articuli Christianæ fidei? Duodecim.

Quis est primus?

Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Quid hoc articulo credis? Vnum esse Deum, omnipotentem, summè sapientem, iustum, & bonum, qui se nobis in uerbo suo, & misso Filio, patefecit immensa bonitate, méque unà cum alijs creaturis omnibus per uerbum suum creauerit ex nihilo, omniaq; adhuc uerbo suo sustentet, regat, & conseruet, me aduersus omnia

pericula

pericula defendat, & omnia necessaria huius uitæ, & quæ ad æternam uitam consequendam pertinent, affatim mihi præbeat, idq́; ex mera sua bonitate & misericordia, non propter aliquod meum meritum, aut dignitatem meorum operum.

Da testimonia scripturæ primi Articuli. Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Deutero. 6. Vnus est Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia. Ephe. 4. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis uirtus eorum. Psalm. 32. Per ipsum uiuimus, mouemur, & sumus. Acto. 17. Ipsi cura est de nobis. 1. Pet. 5.

Quis est secundus Articulus?

Et in Iesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum.

Quid hoc Articulo credis? Iesum Christum, uerum esse Deum, à Patre ab æterno genitum, et meũ Dominum, qui factus homo, me à peccato, ab imperio Satanæ, & æterna damnatione liberauit, & etiamnum ab insidijs & potestate Satanæ, & omnibus periculis defendit.

Da testimonia secundi Articuli. Petrus, Matth. 16. expreßis uerbis Christum filium Dei uocat, ubi inquit: Tu es Christus, ille filius Dei uiuentis. Et Thomas Io. 20. exclamans: Dominus meus, & Deus meus. Et ipse Christus dicit Philippo, Ioan. 14. Qui uidet me, uidet et patrem meũ:

&

& Ioan.10.Ego & pater unum sumus.Et Paulus
Roma.9.Christum,Deum appellat,dicẽs: Ex qui
bus est Christus, qui est in omnibus Deus laudan-
dus in secula,Amen. Et Ioannes 1.Ioan.5. Sumus
in filio eius Iesu Christo: hic est uerus Deus,& ui
ta æterna.Et, quicunq; loci iubent, ut Christum
adoremus,inuocemus,in ipsum confidamus, qui
que tribuunt ei opera diuinæ naturæ propria, ut
sunt uiuificare,sanctificare, saluare, exaudire,
& similia, testantur Christum esse naturalem fili
um Dei, æqualẽ Deo patri substantia, diuinitate,
& omnipotentia. Atq; ideo additur,unicum fili-
um,ut Christus, filius Dei naturalis, discernatur
à filijs adoptionis seu gratiæ. Omnes enim sunt fi
lij Dei,qui credunt in Christum, Ioan.1. Quot-
quot receperunt eum, dedit eis potestatem filios
Dei fieri,his,qui credunt in nomine ipsius.Et Ga-
la.4.Christus eos,qui legi erãt obnoxij, redemit,
ut adoptione ius filiorum Dei acciperemus.Et 1.
Ioan.3. Sumus filij Dei, & nondum apparuit,
quod futuri sumus. Sed Christus natura filius est
Dei,Sicut in Psalmo inquit:Domlnus dixit ad me,
filius meus es tu,Ego hodie genui te.

Quis est tertius Articulus?

Qui conceptus est de Spiritu sancto,
natus ex Maria uirgine.

Quid hoc Articulo credis? Iesum Chri
stum filium Dei, absq; peccato, à Spiritu sancto cõ

ceptum esse in utero beatæ uirginis Mariæ, & eundem ex ea natum uerum hominem, ut meam cõceptionem & natiuitatem impuram atq; æternæ damnationi obnoxiã, emũdaret & sanctificaret.

Da testimonia tertij Articuli. *Sic inquit angelus* Matth. 1. *Quod in illa conceptũ est, à Spiritu sancto profectum est.* Et, Esa. cap. 7. *Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius* Emanuel.

Quis est quartus Articulus?

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna.

Quid hoc Articulo credis? *Iesum Christum, sua innocentißima morte, & effusione sanctißimi sanguinis, me perditum ac morti æternæ addictum hominem, & omnes in ipsum credentes redemisse, à peccato, morte, et inferno, etè regno Satanæ liberasse, ex mera sua gratia, sine ullis meis meritis.*

Da testimonia quarti Articuli. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus fuit, Iustus pro iniustis, ut* Deo *nos adduceret.* 1. Pet. 3. Et Esaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra.* De *descensu Christi ad inferos inquit* Psal. 15. Non *derelinques animam meam in inferno,*

no. Et Psal. 48. Veruntamen Deus redimet animã meã de manu inferni, cùm acceperit me. Et Psal. 85. Eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Quis est quintus Articulus?

Tertia die resurrexit à mortuis.

Quid hoc Articulo credis? Christum Iesum Dominum meum, uictorem peccati, mortis, Satanæ, & inferni, propria uirtute resurrexisse à mortuis tertio die, ut ego per eius resurrectionẽ iustus reputarer apud Deũ, et extremo quoq; die cũ omnibus sanctis, in hac mea carne reuiuiscerẽ ac resurgerem, & cum eo in æternum uiuerẽ, ac regnarem in summa fœlicitate & beatitudine.

Da testimonia quinti Articuli. Christus traditus fuit propter peccata nostra, et resurexit propter iustificationẽ nostri, Rom. 4. Christus mortuus fuit pro peccatis nostris secundũ scripturas, & sepultus est, & resurrexit tertio die, secundum scripturas, 1. Corinth. 15. Christus excitatus à mortuis non amplius moritur, mors illi amplius non dominatur, Roma. 6. De resurrectione uerò nostrorum corporum, sic ait Paulus Roma. 8. Is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & corpora nostra mortalia, propter ipsius spiritum, habitantem in nobis.

Quis est sextus Articulus?

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexterã Dei patris omnipotentis.

Quid hoc Articulo credis? *Christum Iesum ideo ascendisse ad cœlos, ut accepta potestate à patre in omnes creaturas, meus, & omnium credentium, unicus esset mediator ac pontifex coram* Deo Patre *in cœlis.*

Da testimonia sexti articuli. *Christus ascendit supra cœlos, ut impleret omnia, ad* Eph. 4. *Deus sedere fecit* Christum *ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem.* Ephe. 1. *Iesus* Christus *est ad dexteram* Dei, *deglutiens mortem, ut uitæ æternæ hæredes efficeremur.* 1. Pet. 3. *Habemus* Pontificem *magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum* Christum *filium* Dei. *Heb.* 4. *Christus in cœlum ingressus est, ut appareat nunc in conspectu* Dei *pro nobis.* Heb. 9. *Sedere autem ad dexteram* Dei, *est* Deo *æqualem esse, potentia & gloria. Sicut ipse* Christus *ait* Matth. 28. *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.*

Quis est septimus Articulus?

Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Quid hoc Articulo credis? *Christum Iesum extremo die rediturum esse è cœlo magna cum potestate ac gloria, piorum quidem clementissimum* Dominum *ac liberatorem, Impiorum autem seuerum & iustum iudicem.*

Da testimonia septimi Articuli. *Christus*

stus constitutus est à Deo iudex uiuorum & mortuorum, Acto 10. Christus iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua & regno suo, 2. Timo. 4.

Quis est octauus Articulus?

Credo in Spiritum sanctum.

Quid hoc Articulo credis? *Spiritum sanctum uerum & æternum esse Deum cum Deo Patre & filio, ab utroq; procedentem, qui nos uera fide in Christum, sanctificat, & purificat, nos ad credendum Euangelio Christi mouet, nos consolatur & iuuat in infirmitatibus nostris, & testimonium præbet Spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, ad Rom. 8.*

Quomodo datur Spiritus sanctus? *Cùm audientes Euangelium de Christo, eiusq; beneficijs, certò statuimus nobis ignosci à Deo propter Christum, & hac fide nos consolamur in pauoribus peccati, mortis & inferni.*

Quomodo excutitur seu amittitur Spiritus sanctus? *Cùm peccatis contra testimoniũ conscientiæ indulgemus, & in ijsdem perseueramus, uolentes, sicut inquit Ioannes: Qui facit peccatum, ex diabolo est. 1. Ioan. 3. Et Paulus: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Roma. 8.*

Quot modis Spiritus sanctus est efficax in nobis? *Duobus.*

Quibus? *Primò, docet nos beneficia Christi,*

& efficit, ut assentiamur promißionibus de Christo, & consolatur nos, atq; erigit, ne in terroribus peccati desperemus, & afflictionibus succumbamus. Secundò, mortificat et reprimit in sanctis cōcupiscentiā carnis, & parit in eis spirituales & bonos motus omnium uirtutum, timorem & dilectionem Dei, patientiam, officia charitatis, castitatē, & reliquas uirtutes omnis generis, ut iā non coacti lege seu pœnis, sed sua sponte obediāt Deo.

Da testimonia octaui Articuli. Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unū sunt, 1. Ioan. 5. Omnia hæc efficit unus et idem spiritus, 1. Cor. 12. Spiritus sanctus auxiliatur infirmitatibus nostris, Roma. 8. Spiritus sanctus intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, ibidem.

Quis est nonus Articulus?

Credo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Quid hoc Articulo credis? Vnam esse sanctam congregationem, hominum in mundo uerè credentium in Christum, per totum orbem terrarū dispersam, in qua omnia merita Christi, preces, afflictiones, & bona opera piorum, sunt communia.

Quid est Ecclesia catholica? Est congregatio seu cœtus hominum in terra, qui uerbū Dei traditum per prophetas, Christum, & Apostolos

stolos amplectuntur, & in Christum Iesum filium Dei uerè credunt, ubicunq; illi terrarum uiuant.

Quas ea notas habet? Syncerum uerbũ Dei, & legitimum Sacramentorum usum.

Cur uocas sanctam, cùm multi impij & hypocritæ sint admixti, & pij etiam labantur interdum, & peccent? Sancta est per fidem in Iesum Christum, sicut diuus Paulus testatur ad Ephe 5. Quòd autem peccant pij, fit ex imbecillitate carnis, non malitia, aut ipsorum approbatione, unde quotidie orant, Pater cœlestis, Dimitte nobis debita nostra. Impij autem, & hypocritæ non sunt Ecclesia, sed membra eius putrida, & zizania inter triticum, Matth. 13.

Cur uocas catholicam? Quòd de doctrina Euangelij, & usu sacramentorum, in ea conueniat, etiamsi per totum orbem terrarum sit dispersa, & dißimiles ritus humanos habeat. Nam catholicus idem est, quod uniuersalis, publicus, seu communis.

Da testimonia noni Articuli? Matth. ultimo inquit Christus: Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi: quibus uerbis Christus testatur esse ecclesiam Christianam in terra, & totum corpus eius mansurum semper, etiamsi ipsa cruci subiecta sit in hac uita, & aliqua eius membra paßim sint in odio hominum impiorum,

eſuriant, & paßim trucidentur miſerabiliter à tyrannis. Et Paulus inquit ad Ephe. 5. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ per uerbum. Hic locus teſtatur eſſe Eccleſiam ſanctã. Et Chriſtus Matth. 8. Dico uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenturi ſunt, & accumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cœlorũ: ubi teſtatur Chriſtus, Eccleſiam ſuam futuram catholicã, hoc eſt, uniuerſalem. Dauid inquit Pſal. 118. Particeps ero omnium, qui timent te, & cuſtodiunt præcepta tua: ubi ſignificat Propheta, eſſe communionem ſanctorum.

Quis eſt decimus articulus?
Credo remiſſionem peccatorum.

Quid hoc articulo credis? Omnes homines peccato eſſe obnoxios, & reos iræ Dei & æternæ damnationis, & in hac ſancta & catholica Eccleſia tãtùm eſſe remißionem peccatorum, quæ nobis per prædicationem Euangelij, Abſolutionem, & Sacramentorum adminiſtrationem, offertur gratis per fidem in Ieſum Chriſtum.

Quid eſt peccatum? Eſt non ſolùm externum aliquod factum, aut dictũ contra legem Dei, ſed perpetua corruptio naturæ humanæ, in omnes homines propter lapſum Adæ propagata, quæ omnia peccata externa & uitioſos affectus

in nobis parit, & efficit, quò minus legi Dei uerè obedire poßimus.

Quotuplex est peccatum? Duplex.

Quomodo? Originale & Actuale.

Quid est peccatum Originale? Est ipsa corruptio totius naturæ humanæ, ab Adam in omnes homines propagata, qua fit, ut non uerè timeamus Deum, non uerè ipsum diligamus, non ei fidamus, sed creaturis, & appetamus natura carnalia, & quæ sunt huius mundi.

Quid Actuale? Omnes affectus, cogitationes, dicta & facta hominum contra legem Dei, quæ tanquam fructus parit in nobs peccatum Originale.

Est ne aliquod discrimen inter peccata? Est utiq;: Alia enim peccata dicuntur Mortalia, alia Venialia.

Quæ sunt peccata Mortalia? Quæ æternam mortem merentur.

Quæ sunt talia? Desperatio seu dubitatio de misericordia Dei, diffidentia naturalis, odium Dei, amor sui ipsius, ira, Deniq; ipsa inordinata concupiscentia, & omnia peccata in his qui illis non repugnant, sed indulgent contra conscientiam, nec credunt sibi ea remitti propter Christū. Huiusmodi uitiosi affectus & delicta sunt in impijs mortalia, hoc est, mortem adferunt, & excutiunt fidem, gratiam, & Spiritum sanctum.

Quæ sunt uenialia? *Vitiosi affectus hærentes in natura, & infinitæ imbecillitates, quibus tametsi etiam sancti sunt obnoxij, non tamen ijs obtemperant contra conscientiam, sed repugnant illis in timore Dei, & credunt sibi eos propter Christum condonari.*

Meremur ne remissionem peccatorũ nostris bonis operibus? *Non, peccata enim remittuntur nobis à Deo, propter Iesum Christum fide apprehensum, non propter nostrorum operum dignitatem, aut meritum, ne remißio peccatorum fiat incerta, quod futurum esset, si penderet ex conditione nostrorum operum, aut nostræ dignitatis, Sicut inquit Paul. ad Eph. 5. Per Christum habemus redemptionem, per sanguinẽ ipsius, remißionem peccatorum. Ad Roma. 4. Idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam firma sit promißio uniuerso semini.*

Da testimonia decimi Articuli. *Per Christum habemus redemptionem, per sanguinẽ ipsius, remißionem omnium peccatorum, iuxta diuitias gratiæ suæ, Ephe. 1. Christo omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remißionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum, Acto. 10. Deus condonat nobis omnia delicta, deleto, quod contra nos erat, chirographo, ad Colos. 3. Confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, ut remittat nobis pecca-*

ta,

ta, & emundet nos ab omni iniquitate, priore Ioan.1.

Quis eſt undecimus Articulus?

Credo carnis reſurrectionem.

Quid hoc articulo credis? *Hoc meum corpus, in quo nunc uiuo, & omnium hominum corpora, reſurrectura eſſe in nouiſsimo die uiua, incorruptibilia & immortalia, piorum quidem, ad æterna gaudia cum Chriſto, apud quem dulciſſima conſuetudine Dei perfruemur perpetuò, impiorum uerò ad perpetuas impietatis ſuæ pœnas, cum Diabolis, & omnibus qui Euangelio aduerſati ſunt.*

Da teſtimonia undecimi articuli. *Si inſititij facti ſumus illi (Chriſto) per ſimilitudinē mortis eius, nimirum & reſurrectionis eius participes erimus, Roma.6. Scimus, quòd qui ſuſcitauit Dominum Ieſum, nos quoq; per Ieſum ſuſcitabit.2.Cor.4.*

Quis eſt duodecimus articulus?

Credo uitam æternam, Amen.

Quid hoc articulo credis? *Me unà cū omnibus alijs ſanctis, poſt hanc uitam caducam, & malorum omnium plenam, æterna uita, et perpetua lætitia fruiturum eſſe in cœlis apud Deum, cum Chriſto Ieſu ſeruatore & capite noſtro.*

Da teſtimonia duodecimi articuli.

Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt,

euigilabunt, alij ad uitam æternam, alij uerò in opprobrium, ut uideant semper, Daniel. 12. Et Paulus inquit ad Philip. 4. Et sic semper cum Domino erimus.

Cur addis Amen? Quòd certò credam hæc omnia esse uerißima propter Christum, qui hæc tam ingentia beneficia, credentibus in ipsum, promeruit paßione sua & morte, eaq; in suo uerbo promisit omnibus certò consequenda per fidem, gratis.

DE TERTIA PARTE CAtechismi, de Inuocatione seu Oratione Dominica.

Quæ est tertia pars Catechismi? Oratio Dominica.

Quid est oratio? Seria imploratio diuini auxilij, in quocunq; afflictionum ac neceßitatum genere, cum gratitudinis testificatione.

Quot sunt orationis species? Duæ.

Quæ? Inuocatio, & Gratiarum actio.

Quid est inuocatio? Precatio, qua aliquid à Deo per fidem in Christum petimus.

Quid est Gratiarum actio? Gratitudo animi, qua beneficia diuinitus data agnoscimus, & pro ijs gratias Deo agimus.

Quis est usus orationis? Vt per eam nostram uitam exerceamus, & à Deo necessaria

nobis, & alijs omnia petamus & consequamur, animiq; nostri gratitudinem erga Deum testemur & declaremus.

Quot requirũtur in oratione? Quinq;.

Quod est primum? Praeceptum Dei, quo iubemur auxilium Dei inuocare, cui qui non obtẽperant, nonminus grauiter Deum offendunt, quàm si in aliquod expressum praeceptum Decalogi peccarent. Nam uiolant secundum praeceptum, in quo Deus & hoc à nobis requirit, ut nomen suũ inuocemus, precemur libenter & seriò.

Quod est secundum? Promissio Dei, qua Deus promittit se nos orantes per filium certò exauditurum esse, etiamsi nos simus indigni, quos exaudiat.

Quod est tertium? Fides, qua primum statuere debemus nobis uerè remitti peccata à Deo, propter Christum, et preces nostras placere Deo, Deinde certò credere, nobis, quae petimus à Deo in nomine filij ipsius, euentura esse, & nos certò, ac quidem, cum petimus, statim exaudiri, etiamsi largitio siue donatio rei petitae aliquandiu differatur interdum, certo de consilio Dei, & paternaeius erga nos uoluntate. Neq; enim modum liberationis, aut certum tempus Deo praescribere debemus, quo nos exaudiat. Ipse enim potest facere suprà, quàm petere, aut intelligere nos possimus, ad Ephe. 3. Nouit enim solus Deus, quid nobis expediat,

diat, & quando ſit tempeſtiuum, ut oppreßis & miſeris ſuccurrat oportuno tempore, ut Pſalmus ait: Factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. Idem autē Deus interdum differt auxilium, ut fides in nobis creſcat & exerceatur, orationis ardor excitetur, & liberatio ex diuturnis malis ſit gratior atq; illuſtrior. Quare omnia in oratione diuinæ ſapientiæ & bonitati ſunt committenda, ſtatuendumq; certò, Deum ſemper exaudire nos orãtes, iuxta ſuam uoluntatem, per filium Mediatorem, ſed oportuno ſolùm tempore declarare, nos eſſe exauditos à ſe.

Pſalm. 9.

Quod eſt quartum? Res petenda, quæ nominari & exprimi debet in oratione. Etſi enim Deus melius, quàm nos ipſi, ſciat, quibus rebus opus habeamus, tamen uult nos ſentire noſtra mala, & ſe tanquam autorem & datorem omniũ bonorum à nobis agnoſci & inuocari.

Súntne bona petenda à Deo, ſine addita aliqua conditione? Bona ſpiritualia, ut ſunt remißio peccatorum, liberatio ab impietate, & imperio Satanæ, nominis Dei ſanctificatio et augmentum regni, eiuſq; uoluntatis executio, donatio Spiritus ſancti, & æternæ uitæ, petenda ſunt à Deo ſine omni conditione. Nam Deus præcipit, ut credamus hæc certò nobis contingere propter ſuum Filium. Bona uerò corporalia, ut

est liberatio è periculis & afflictionibus seu cruce, & reliquis uitæ incommodis, petenda sunt, cũ conditione uoluntatis Dei & utilitatis nostræ. Requirit enim Deus obedientiam in afflictionibus. Et, ut Paulus ad Roma. 8. inquit, quid oraturi simus, ut oportet, non nouimus.

Quod est quintum? Vt oratio nostra fiat in nomine Christi, propter quem solum nostræ preces exaudiuntur apud Deum. Christus enim intercessor & pontifex noster, interpellat pro nobis, & nostras preces suo patri offert & commendat.

Quot mouere nos debent ad orandum? Tria.

Quod est primum? Præceptum Dei: Petite, & dabitur uobis, Matth. 7. Oportet semper orare, & non defatigari, Luc. 18. Indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim uoluntas Dei, in Iesu Christo erga nos. 1. Tessaloni. 5. Quibus præceptis pij debent obtemperare, ijsq; admoneri, ut libenter & sæpe orent, & statuant suas preces certò placere Deo propter Christũ, etiamsi sint ipsi indigni, quos Deus exaudiat, & sciãt peccare eos, qui nunquã, aut raro orãt, nec agunt gratias Deo pro acceptis beneficijs.

Quod est secundum? Promißio Dei, Quæcunq; petieritis, credite quòd accipietis, & erunt. nobis. Marci 11. Et, Inuoca

me in die tribulationis, & eripiam te, & tu glorificabis me. Psalm. 49. Libenter igitur orare debemus, & quia Deus iußit, & nostræ preces nõ sunt futuræ irritæ, sed certò consequemur, quæ iuxta uoluntatem Dei petiuerimus.

Quod est tertium? Neceßitas nostra & proximi, & Ecclesiæ pericula, ut sunt hæreses, impia doctrina, mali mores, tyrannis impiorum, & innumeræ aliæ calamitates priuatæ & publicæ, quæ omnia oratio Dominica complectitur.

Quid est oratio Dominica? Forma orãdi seu inuocandi Deum, ab ipso Christo nobis tradita, summatim omnia complectens, quibus tum ad hanc uitam sustentandam, tum ad æternam cõsequendam, nobis opus est.

Cur dicitur Dominica? Quòd Christus Dominus noster eius autor est. Quare etiam omnibus alijs precandi formulis ab hominibus excogitatis longè est præferenda. Est enim Deo patri hæc forma orandi omnium acceptißima, propter autorem Filiũ suum, in quo solo, ipsi est bene complacitum. Matth. 17.

Pronuncia.

Pater noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnũ tuum Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita

nostra,

nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationẽ. Sed libera nos à malo. Quia tuũ est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum, Amen.

Quomodo diuiditur oratio Dominica? *In principium seu titulum, & septem petitiones.*

Quod est principium?

Pater noster qui es in cœlis.

Cuius nos admonet principium? *Paternæ uoluntatis & amoris* Dei *erga nos, & præstandi, quæcunq; ab ipso petimus, facultatis.*

Cur Deus se patrẽ appellat? *Et, quòd paterno animo erga nos suos filios affectus sit, et, ut nos excitet, ut apud se solum auxilium in omnibus nostris periculis ac malis quæramus & expectemus.*

Cur nostrum patrem? *Quòd nos omnes sumus filij* Dei *in* Christo, *& ipsi inter nos fratres, quorum communis est hæreditas reposita in cœlis, uita æterna.*

Cur additur, Qui es in cœlis? *Vt sciamus nobis alium patrem, quàm est hic in terris, omnipotentem uidelicet, spiritualem, & æternum esse in cœlis, qui ubiq; sit, & adsit nobis, qui nos & omnia creauerit, qui nos coaptatos in filios suos per fidem in* Christum, *foueat, alat, con-*

seruet, respiciat, & se precantes exaudiat, qui cō tra omnē uim & pericula corporis & animæ nos tueatur, quiq; nobis post hanc uitam daturus sit propter filium suum, uitam æternam in cœlis, ubi illc est, lucem inaccessam inhabitans.

1. Timo, 6

Quæ est prima petitio?

Sanctificetur nomen tuum.

Quid hac petitione oramus? *Vt nomē Dei per nos innotescat, glorificetur, & sanctum habeatur in toto mundo, quod tum fit, cùm uerbum Dei purè docetur, et nos, ut filios Dei decet, moribus & uita nostra illud exprimimus. Nam sanctificari hoc loco significat innotescere, laudari, & prædicari. Nomen Dei significat gloriam & notitiam Dei.*

Quæ est secunda petitio?

Adueniat regnum tuum.

Quid hac petitione oramus? *Vt pater noster cœlestis Spiritum sanctum nobis donet, qui nos, donata fide in Christum, à peccatis emundet, amorem sui uerbi in nobis accendat, ut illud libenter audiamus, legamus, tractemus, & in uita nostra & moribus referamus, nos in omnibus actionibus nostris regat, ut nostro exemplo & pia uita apud alios quoq; regnum Dei propagetur, ac omnes æterni regni hæredes post hanc uitam fiamus.*

Quæ est tertia petitio?

Fiat

Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Quid hac petitione oramus? *Vt pater noster cœlestis, mundi, Satanæ, & carnis nostræ mala uoluntate impedita, efficiat, ut omnes homines ipsi in omnibus rebus obediant & placeant in terra, quemadmodum angeli in cœlo ipsi semper obediunt & placent, omniaq́; de uoluntate Dei, non dæmonis, non mundi, non hostium Euangelij & gloriæ Dei, fiant.*

Quæ est quarta petitio?

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quid hac petitione oramus? *Vt pater noster cœlestis, pro sua, erga nos filios suos per Christum adoptatos, bonitate, det nobis omnia, quibus ad hanc uitam commodè sustentandam et colendam indigemus, ut sunt, cibus, potus, uestes, propriæ ædes, obsequens familia, & liberi morigeri, dotes ingenij, successus in studijs, pius & prudens magistratus, salubritas aëris, bona ualetudo, pax & tranquillitas reipublicæ, deniq́;, ut det nobis uerbi sui, quo spiritus noster pascitur, syncœram & aßiduam prædicationem, & id genus alia cùm corporalis, tum spiritualis uitæ præsidia, quæ cùm à Deo petimus & expectamus, simul fatemur, ea non nostro tantùm labore aut humana industria parari, nec casu obijci nobis, sed*

Dei esse beneficia gratuita, pro quibus ipsi gratias agere debemus.

Cur additur Quotidianum, & Hodie? Vt mediocri alimonia contēti uiuamus, nec quesita & donata à Deo per luxum & gulam profundamus, & perdamus, & ut meminerimus frequenter orandum esse, cùm aßiduè his rebus egeamus.

Quæ est quinta petitio?

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Quid hac petitione oramus? Vt pater noster cœlestis uelit nobis aßiduè condonare debita nostra, propter Christum mediatorem nostrum gratuitò, quemadmodum ipsi libenter & facilè condonamus offensas ijs, qui nos offenderunt.

Remittit ne Deus nobis peccata propter nostram condonationem? Non, sed propter fidem in Christum. Nostra autem condonatio est certißimum signum condonationis diuinæ, qua fides nostra confirmatur, & certi sumus, nobis quoq; ignosci à Deo propter Christū, quemadmodū inquit Christus: Si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater uester cœlestis. Quòd si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater uester remittet errata uestra, Matthæ. 6.

Quæ est sexta petitio?

Et

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid hac petitione oramus? *Ne pater noster cœlestis sinat nos induci in tentationē, in qua desperemus, sed nos defendat contra Satanæ, mundi, & carnis nostræ insidias, ne ab ijs decepti, in diffidentiam, desperationem, aut alia scelera incidamus, &, si ab illis tentemur, ut nobis ad gloriam suam & nostrum profectum, in tentationibus uictoriam tribuat, & ut cum tentatione faciat euentum, ut Paulus ad Corinthios ait: Fidelis est Deus, qui non sinet uos tentari, supra id, quod potestis, imò faciet unà cum tentatione euentum, quò poßitis sufferre. 1. Corinth. 10.*

Quæ est septima petitio?

Sed libera nos à malo, Amen.

Quid hac petitione oramus? *In summa petimus, ut pater noster cœlestis liberet nos ex omnibus miserijs, ærumnis, & malis huius uitæ, et è regno Satanæ, ac tandem donet nobis fœlicem discessum ex hac calamitosa uita, & defunctis uitam & iustitiam æternam.*

Quomodo distinguuntur hæ petitiones? *In tribus prioribus petimus bona spiritualia & æterna, quæ ad gloriam Dei & utilitatem nostram pertinent. Quatuor postremis petimus bona corporalia, quæ tamen etiam ad spiritualia & æterna consequenda sunt nobis necessaria.*

Cur additur, Amen? *Ne dubitemus*

quin nostræ preces exauditæ sint à Deo in cœlis, propter Christum, etiamsi nos indigni sumus, qui exaudiamur. Amen enim Hebræis significat, fiat, aut certum, & ratum sit, quod dictum est.

Quid sibi uult clausula, Quia tuum est regnum &c.? Hæc solùm in græcis codicibus legitur, Continet autem rationem, cur prædicta bona à solo Deo petamus & expectemus, Quia ipse sit Deus, & rex omnipotens, misericors & gloriosus, cuius imperium, & uoluntatem in nobis iuuandis, nulla creatura queat impedire. Quare debet hæc clausula nostram fidem in orando confirmare, & Deum nos iuuare posse, quia sit omnipotens, & uelle etiam, quia sit noster pater clementissimus, ut ita omnem gloriam nostræ liberationis, consolationis, & auxilij, tantùm potentiæ & bonitati Dei adscribamus, & nomen Domini gloriosum amplissimis semper laudibus celebremus.

Quid cogitare soles, cùm orationem ad Deum instituis? Primùm cogito, quis sit is, quem uelim inuocare seu alloqui, uidelicet, Deus uerus, omnipotens, uiuus & æternus, creator omnium rerum & conseruator, cum filio ipsius Iesu Christo, & Spiritu sancto, qui immensa bonitate se nobis patefecit, dato uerbo, & misso filio, de quo clamauit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, Hunc audite. Secundò,

dò, reuoco in mẽtem promißiones Dei, quòd propter ſuum filium Ieſum Chriſtum, mediatorem & propiciatorem noſtrum, uelit me exaudire Deus, recipere preces meas, & regere me Spiritu ſancto. Tertiò, perſuaſißimum habeo, Deum remittere mihi peccata, propter ſuum filium, in quẽ credo plena fiducia, & daturum mihi, quæcunq; ſecundum ipſius uoluntatem peto, etiamſi ego ſim indignus, & aliquandiu differatur petitæ rei exhibitio.

Dic aliquam breuem formam orationis, in qua hæc compræhenduntur.

FORMA INVOCATIONIS *Chriſtianæ.*

Ego ſic orare ſoleo:

Te, omnipotens, æterne & uiue Deus, æterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, inuoco, qui te patefeciſti immenſa bonitate, & clamaſti de filio tuo, Hunc audite, conditor omnium rerum ac conſeruator, cum filio tuo coæterno, Domino noſtro Ieſu Chriſto, & ſpiritu ſancto, ſapiens, bone, miſericors, iudex, & fortis, miſerere mei, propter Ieſum Chriſtum filium tuum, quem uoluiſti pro nobis eſſe uictimam, rege, iuua, renoua me ſpiritu tuo, rege, &

serua Ecclesiam tuam & politias, quæ præbent hospitia ærumnosis Ecclesijs, guberna quoq; & conserua parentes meos, fratres & sorores, ad ipsorum salutẽ & meam utilitatem, tribue etiam mihi intellectum, & in discendo bonas literas fœlicem successum, ad illustrandam gloriam nominis tui, Amen.

FORMA GRATIARVM Actionis Christianæ.

Dic similem quoq; formam gratiarum actionis.

Ego tibi omnipotẽs Deus, æterne pater seruatoris nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum & cõseruator, cũ coæterno filio tuo Iesu Christo & spiritu sancto, sapiẽs, iuste, et misericors DEVS, iudex & fortis, ago gratias, quòd te nobis immensa bonitate patefecisti, & filium tuum misisti in mundum, quem uictimam pro peccatis nostris esse uoluisti, tuumq; Euangelium, et cœlestem doctrinam tuam dedisti nobis, & conseruas, atq; Ecclesiam sanctam ac perpetuam tibi elegisti, remittis nobis peccata, & in misericordia nos suscipis propter filium tuum, & certò exaudis nos & libe

ras,

gas, largiturus nobis Spiritum sanctum & uitam æternam.

Ago quoq; tibi gratias, Domine Iesu Christe, quòd pro nobis mortuus es, & iustam ac horrendam iram Dei, aduersus peccata nostra, in te deriuasti, et æterno tuo patri nos reconciliasti, à morte resurrexisti, ut nos regeres & seruares, tuumq; Euangelium nobis reuelasti, ut defenderes nos, et donares nobis uitam æternam.

Tibi quoq;, æterne sancte Spiritus, ago gratias, qui illuminas nos, dasq; nobis intellectum cœlestis doctrinæ, suggeris nobis recta consilia, regis nos, & pectora nostra ad uirtutes exuscitas.

DE QVARTA PARTE CAtechismi, de Pœnitentia, Confeßione, & Absolutione.

Quæ est quarta pars Catechismi? *Doctrina de Pœnitentia, Confeßione, et Absolutione.*

DE POENITENTIA.

Quid est Pœnitentia? *Est agnitio & dolor conscientiæ de commisso peccato, cum certa fiducia, peccatum nobis esse remissum à Deo gratis propter Christum. Vel, Pœnitentia est cõuersio peccatoris ad Christum.*

Quot sunt partes Pœnitentiæ? *Duæ.*

Quæ? *Contritio siue agnitio peccatorum, & Fides.*

Quid est contritio? *Est terror seu pauor conscientiæ uerè agnoscentis peccata sua, et iram Dei, & pœnam aduersus peccata, de quo terrore conscientiæ, Esaiæ 66. dicit* Dominus: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculũ, cõtritum Spiritu, & trementem sermones meos?* Et *Psalm. 50. Sacrificiũ* Deo *spiritus contribulatus, cor contritũ Deus non despicies.* Hunc *pauorẽ animo incussum propter peccata, iram* Dei, *& imminentem damnationem, Paulus mortificationem uocat.*

Quomodo is dolor fit in animis hominum? *Cùm Spiritus sanctus ostendit nobis per legem* Dei *peccata nostra, iram, & horrendũ iudicium* Dei *aduersus peccata.*

Meretur ne hæc contritio siue dolor remissionem peccatorum? Non. *Remißio enim peccatorum donatur nobis à* Deo *gratis, propter Christum, eiusq; merita fide apprehensa.* Contritio *autem, & ueri terrores, propter peccatum conscientiæ incußi, pariunt desperationem & odium* Dei, *ac tandem afferrent æternã mortem, et perpetuum exitium homini, nisi fides altera pars pœnitentiæ accederet, qua certò persuasum est nobis, remitti nobis peccata gratis, propter filium* Dei.

Quid

Quid est fides? *Certa fiducia de gratuita remißione peccatorum propter Christum, quæ conscientiam nostram consolatur atq; erigit, ne in terroribus peccati ac mortis desperet, sed certò credat, sibi propter Christum remissa esse peccata. Hac fiducia quia caruerunt Cain & Iudas, non sunt consecuti remißionem peccatorum, sed desperârunt de misericordia Dei, & damnati sunt, etiamsi eos ex animo, uereq; sui peccati pœnituerit.*

Quomodo hæc fiducia concipitur? *Cum Spiritus sanctus mouet per Euangelium cor peccatoris, ut certò statuat remißionem peccatorum sibi gratis esse donatam à Deo, propter Christum.*

Qui sunt digni fructus pœnitentiæ? *Timor Dei, obedientia erga Deum, charitas erga proximum, emendatio uitæ, & bona opera, quæ ad gloriam Dei, et utilitatem proximi facimus, renouati per Spiritum sanctum, quem per fidem in Christum accepimus.*

Quis est finis pœnitentiæ? *Remißio peccatorum, iustificatio, donatio Spiritus sancti, & uita æterna, quæ uerè pœnitentibus donatur gratis, à Deo, propter Christum.*

DE CONFESSIONE.

Quid

Quid est confessio? Est, qua homo Christianus peccata sua agnoscens ex prædicatione pœnitentiæ seu legis, ea confitetur uel Deo, uel proximo, uel ministro Ecclesiæ, cum ueniæ deprecatione, & proposito melioris uitæ.

Quotuplex est confessio? Triplex.

Quomodo? Alia fit Deo, alia fit proximo, alia ministro Ecclesiæ.

Quid est confessio, quæ fit Deo? Est qua nos coram Deo, reos omnium peccatorum fatemur, & ueniam eorum fide petimus à Deo propter Christum, de qua Psalm. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et 1. Ioan. 1. Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emũdet nos ab omni iniquitate.

Quid est confessio, quæ fit proximo? Mutua Christianorum inter se reconciliatio, cùm offensæ culpam mutuò deprecantur & remittũt, de qua Iacobi 5. Confitemini inuicem alius alij delicta, & Marci 11. Cùm steteritis ad orationem, remittite, si quid habetis aduersus aliquem.

Quid est confessio, quæ fit ministro Ecclesiæ? Est, qua peccata, quæ nostram conscientiam angunt, ministro uerbi Dei reuelamus, consolationis & consilij capiendi gratia.

Quot

Quot partes habet hæc confessio?

Duas.

Quas? *Enumerationem peccatorum, quæ conscientiam nostram grauant, & absolutionem. Enumeratio omnium peccatorum non est necessaria, neq; iure diuino mandata, quia ea nec à Christo præcipitur, nec fieri potest, iuxta illud Psal. 19. Delicta quis intelligit? et, Ab occultis meis munda me. Non igitur enumeratione peccatorum omnium conscientiæ sunt onerandæ. Neq; enim Sacerdos absoluit cõfitentem, ut iudex, qui causam, & delicta prius cognoscit, sed ut minister, qui habet à Deo mandatum, non cognoscendi peccata, sed absoluendi omnes, quos peccati pœnitet, & testantur se deinceps dignos fructus pœnitentiæ facturos, et credunt sibi peccata remitti propter Christum.*

Quid in hac confessione inprimis spectandum est? *Absolutio, seu remißio peccatorum, quam à ministro Ecclesiæ non aliter accipere, nec minus ueram credere confitentem oportet, quàm si ipse Deus corporali præsentia conspicuus eum à peccatis absolueret. Deus enim ipse per ministrum Ecclesiæ nos absoluit, iuxta illud: Qui uos audit, me audit.*

Quibus de causis ministro Ecclesiæ est confitendum? *Primò, ut hac occasione petamus & accipiamus ab eo remißionem peccatorum*

torum

torum, quam nobis loco Dei *in absolutione certissimè offert propter* Christum, *iuxta illud* Ioan. 20. Q*uorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis.* Secundò, Vt *hac priuata confeßione commodius in uerbo* Dei *instituamur, à scrupulis conscientiæ liberemur, & de rudioribus* Christianis *fiat periculum, sint ne idonei ad percipiendam* Eucharistiam, *ad quam non debent admitti prorsus inexplorati & contemptores huius confeßionis.* Tertiò, Vt *minister uerbi* Dei *cõscientias uerbo* Euangelij *consoletur, à peccatis dehortetur, & uitandi peccati det consilium.*

Quomodo confiteris Deo? *Cùm diligenter & exactè decem præcepta percurri, & apud animum meum perpendi, quàm grauiter, & quàm sæpe contra* Deum *peccauerim, me corã* Deo *de omnibus peccatis reum perago, accuso et damno ex lege* Dei, *eaq; mihi remissa esse propter filiũ* Dei, *ex ipsius uerbo certißimè statuo, ac dico:*

O clementissimè pater cœlestis, miser ego homo, in peccatis conceptus, & natus, confiteor coram te Deo creatore & seruatore meo, quòd multis meis, & grauibùs peccatis te sæpe offendi à primis annis pueritiæ meæ, usq; in hoc tempus, & fateor quoq;, me nulla ratione à peccatis & æterna morte liberari posse, nisi tua gratuita cõdonatione, propter mor

tem

tem tui filij Iesu Christi. Ideo obsecro ste mi pater, ut mihi condones omnia peccata mea propter Christum, filium tuū dilectum, & impertias mihi Spiritū sanctum, qui purificet cor meum, suaq́ꝫ gratia confirmet & regat, ne in pristina peccata relabar, Amen. *Vel, dico Psalmum 50. Miserere mei Deus, Vel cū publicano Lucæ 18. Domine propicius esto mihi peccatori.*

Quomodo cōfiteris proximo? *Si quid offensæ intercessit mihi cū proximo, cuius autor ipse fuerim, dico: Chariss. frater in Iesu Christo, cōdona mihi, q̄ nuper te uerbo, facto, cōtumelia, maledicto læsi, ego quoq; uicissim tibi libēter, & ex animo cōdono, quicquid usquā in me peccasti.*

Quomodo cōfiteris ministro Ecclesię? *Reuerēter ipsum accedo, & flexis genibus dico:*

Venerabilis Domine, rogo te per Christum, ut digneris confessionem meā audire, & remissionem peccatorum mihi ex uerbo Dei annunciare. *Cumq; ille respondet, libenter, pergo sic:* Ego miser peccator, confiteor me coram Deo, omnium peccatorum reum esse, præcipuè autem coram te cōfiteor, me in Deum grauiter peccasse, quòd illum neque timui, neque amaui, neque colui, omnémque spem meam in ipso non posui, sed ingratus,

ingratus, tanquam Deus non esset, omnia pro libidine mea egi, non ex uerbo eius studium & uitam meam comparaui, parentes, præceptores, condiscipulos meos sæpe offendi, uerbum Dei contempsi, & negligens in officio meo fui, non diligenter uerbo Dei, & bonis literis discendis incubui, in leges scholę nostræ frequenter peccaui, præceptoribus iustum honorem non habui, tempus, & pecuniam nihil discendo perdidi, parentes & præceptores ad iracundiam, mea petulantia, prouocaui, confiteor etiam lasciuiam, quam in dictis & factis sæpè prodidi, sæpe cum meo condiscipulo rixatus sum, sæpe contra parentes & præceptores meos murmuraui, sæpe eis malè precatus sum, & pœnitet me horum peccatorum omnium, & credo ea mihi omnia gratis condonari à Deo propter filium ipsius Iesum Christum, qui uictima factus est à Deo pro peccatis meis & totius mundi. Quare oro te, uenerabilis domine, ut me, pro officio tuo, ex uerbo Dei absoluas, & Deum pro me ores, ut posthac possim adiuuante me gratia Dei, uiuere sanctius.

DE ABSOLVTIONE.

Quid

Quid est Absolutio? Est læta annunciatio gratuitæ remißionis peccatorum propter Christum, quæ certa & efficax est hîc in terris, non propter dignitatem ministri absoluentis, sed propter mandatum & institutionem Christi, seu potestatem clauium, quam Christus dedit suæ Ecclesiæ administrandam solùm in hac uita, ut remißio peccatorum expressa uoce annũciaretur, aut multis, aut singulis, gratis propter se Meßiã filiũ Dei promissum liberatorem humani generis.

Quid est potestas Clauium? Est potestas remittendi & retinendi peccata, Ecclesiæ à Christo tradita, Matth. 18. Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, Et quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Soluere enim significat remittere peccata pœnitentibus & credentibus in Christum. Ligare uerò, retinere peccata ijs, qui non resipiscunt, nec credunt in Christum, His non est impertienda absolutio.

Quotuplex est absolutio? Duplex.

Quomodo? Publica & priuata.

Quæ est publica? Est, qua minister uerbi Dei, cùm publicè Euangelium annunciat in Ecclesia, omnibus qui Euangelio credunt, remißionẽ peccatorum prædicat & offert gratis propter Christum.

Quæ est priuata absolutio? Qua mini

ster Ecclesiæ singulis in confeßione priuata, remissionem peccatorum, ex uerbo & uirtute Dei annunciat, propter Christum.

Quis est priuatæ absolutionis usus? Vt per illam, tanquam uocem Dei de cœlo tonantem, conscientia nostra confirmetur de remißione peccatorum, gratis donata propter Christum.

Quid in absolutione requiritur? Fides, qua is, qui absoluitur, certißimè apud se statuit, sibi remissa esse peccata in cœlis, non minus uerè, quàm si ipse Deus uisibili præsentia, eum absoluisset, Sicut Christus absoluit Mariam Magdalenam, Matthæum, & cæteros, iuxta uocem Christi: Quorumcunq; peccata remiseritis, remittuntur eis, Et quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20.

Est ne aliqua in absolutione addenda satisfactio, seu compensatio pro peccatis? Nulla prorsus, Solus enim Christus est satisfactio & uictima pro peccatis nostris, non ulla nostra opera, aut satisfactiones. Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ad Ephe. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & uictimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. Et priore Ioan. 2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris. Interdum pœnæ corporales irrogantur à Deo post pœnitentiam, non ut sint compensationes pro peccatis, sed ut ijs exerceatur

exerceatur fides nostra in inuocando Deo. Interdū etiam ante conuersionem, poenæ imponuntur, ut per eas reuocemur ad poenitentiam, quæ poenæ postea mitigantur, aut prorsus etiam tolluntur interdum, propter poenitentiam, unde Zacha. 1. Cōuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, sed poenæ æternæ pro peccatis irrogandæ, homini unà cū culpa remittuntur in absolutione, propter Christum. Vnde Michææ 7. inquit propheta: Reuertetur & miserebitur nostri, Deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.

DE QVINTA PARTE CATEchismi, De Sacramentis.

Quæ est quinta pars Catechismi? Doctrina de Sacramentis.

Quid est Sacramentum? Externum signum diuinæ promissionis, ac uoluntatis Dei erga nos, ab ipso Deo institutum, ad confirmandam fidem nostram de remissione peccatorum.

Quot sunt Sacramenta? Duo principalia.

Quæ? Baptismus, & Sacramentum altaris, seu Cœna Domini. Hæc enim duo habent expresse adiunctam promissionem Dei de remissione peccatorum, sicut & Absolutio, quæ ob id rectè etiam inter Sacramenta refertur, Afflictiones

eleemosynæ, oratio, piæ uocationes, & bona opera etiam promißiones habent, sed bonorum corporalium, seu præsentis uitæ solum, non remißionis peccatorum & gratiæ Dei, ideo hæc non propriè Sacramenta appellantur.

Quot sunt partes sacramenti? *Duæ.*

Quæ? *Elementum & promißio.*

Quid est Elementum? *Signum externum, seu uisibile, promißionem Dei adiunctam habens.*

Quæ est promissio sacramentorum? *Propriè remißio peccatorum.*

Quis est usus Sacramentorum? *Vt Deus per ea nos ad credendum suis promißionibus de remißione peccatorum excitet, fidemq́; in nobis confirmet. Nam licet solus Spiritus sanctus certificet & confirmet nostram fidem, utitur tamen ad hoc externis signis, tanquam instrumentis, quemadmodum per uerbum uocale, corda nostra ad credendum mouet & excitat.*

Quid in usu Sacramentorum requiritur? *Fides, quæ promißioni Dei in Sacramentis certò credat. Neq; enim sine fide Sacramenta prosunt.*

Peccant ne, qui Sacramentis, cùm id possent, non utuntur? *Peccant, Quia uerbum Dei, & eius institutionem negligunt, & contemnunt.*

Prosunt

Prosuntne Sacramenta, per malos ministrata? *Prosunt, Nam Sacramenta efficacia sunt in credentibus, propter mandatum et ordinationem diuinam, non propter dignitatem & sanctimoniam eorum, qui Sacramenta ministrãt, ne conscientiæ de promißione Sacranentorũ reddantur incertæ, id quod futurum certò erat, si Sacramentorum uis & energia, hoc est, remißio peccatorum, penderet ex dignitate, seu uitæ moribus ministrantis Sacramenta. Nam semper dubitari potest de ministro, an satis sit pius, et an Deo placeat, uereq; in Christum credat. Vnde Augustinus in Io. cap. 1. Sint, inquit, ministri boni, si uolunt: si noluerint esse iusti, securum me fecit magister meus, de quo spiritus eius dixit: Hic est, qui baptizat. Retinuit sibi Dominus potestatem baptizandi, seruis ministerium dedit.*

DE BAPTISMO.

Quid est Baptismus? *Est aqua gratiæ et regenerationis, uerbo seu promißione & mandato Dei inclusa, quo offertur ijs, qui baptizantur, adoptio filiorum Dei, remißio peccatorum, iustificatio, donatio Spiritus sancti, & uita æterna. Vel, Baptismus est diuinum signaculum, quo Deus pater per Christum filium suum, unà cum Spiritu sancto promittit ei, qui baptizatur, remißionem peccatorum, & adoptionem in filium Dei, ac hæreditatem bonorum cœlestium. Non tantum*

enim Baptismus est ceremonia seu externa nota, qua à reliquis hominibus discernimur, sed est signum uoluntatis Dei erga nos, quo Deus testatur, se nos recipere in gratiā, ac nobis remittere peccata propter suum Filium, & nos se inuocantes exaudire, & donare nobis Spiritum sanctum, qui nos sanctificet, gubernet, & nouam & æternam

Tit. 3. uitam in nobis inchoët. Vnde Paulus Baptismum

1. Pet. 3. appellat lauacrum regenerationis, & Petrus, pactum bonæ cōscientiæ erga Deum, quòd baptizati certò statuere debent se receptos iam esse in gratiam à Deo propter ipsius filium.

Quod est uerbum seu promissio Baptismi? Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Marci ultimo.

Quod est mandatum de Baptismo? Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Matth. ultimo.

Quod est Elementū Baptismi? Aqua, uerbo Dei coniuncta, & per illud sanctificata.

Quæ est promissio Baptismi? Remissio peccatorum, iustificatio, & donatio Spiritus sancti, & uitæ æternæ.

Quis est usus Baptismi? Vt per eius ministerium Christianæ Ecclesiæ inseramur, adoptio

nem filiorum Dei consequamur, regeneremur, fidem nostram de remißione peccatorum confirmemus & exerceamus, accipiamusq; Spiritum sanctum, cuius auxilio adiuti, ueterem hominem, hoc est, concupiscentiam, unà cum peccatis per totam uitam, mortificemus, & uincamus.

Suntne adhuc obnoxij peccatis, qui sunt baptizati? Peccata quidē omnia in Baptismo nobis condonantur propter Christum, quem in Baptismo induimus, sed concupiscentia carnis ad peccandum, in nobis remanet Inquit enim diuus Augustinus: Remittitur concupiscentia carnis in Baptismo, non, ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Per Spiritum autem sanctum contra illam concupiscentiam quotidie sancti pugnant, & per pœnitentiam quotidianam, tollere & penitus eam extinguere conantur, quæ pugna spiritus & carnis, ad mortem usq; durat, ubi tandem uetus Adam, & omnia peccata in nobis abolebuntur. Quare & diuus Paulus ait Roma. 8. Nulla est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed secundum spiritum. Tollitur igitur in Baptismo reatus siue imputatio peccati, ne scilicet damnet peccatum credentes in Christum. Morbus uerò naturæ pugnans cum lege Dei, in natura hominis, etiam credentis, manet, contra quem morbum reluctantur pij omni uita, iuxta

Libro 9. contra Iouianum.

hoc Pauli ad Gala. 5. Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus aduersus carnem. Morbum hunc scholastici doctores uocant materiale peccati originis, reatum uerò, siue imputationem, formale eius.

Cuius nos Baptismus admonet? Pœnitentiæ, per immersionem in aquam: & remißionis peccatorum, seu uitæ nouæ ac sanctæ, per reditum ex aqua. Immersio enim in aquam, significat ueterem hominem submergi, & mori, cum peccatis & malis concupiscentijs. Emersio uerò seu reditus ex aqua, significat nouum iam esse hominem, qui ablutus à peccatis, & reconciliatus Deo per sanguinem Christi, deinceps in sanctitate & iustitia coram Deo uicturus sit in æternum. Vnde Paulus Roma. 6. Sepulti igitur sumus unà cum Christo per Baptismum in mortem, ut, quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.

Quoties Baptismo utendum est? Semel in uita, neq; enim ceremonia iterari debet, sed uis & meditatio Baptismi, aßidua esse debet, et omni uita durare, & cùm nomina nostra audimus, debemus in memoriam reuocare, Deum nos olim in Baptismo recepisse in gratiam, & nobis uerè remisisse peccata, & donasse Spiritum sanctum.

Quis Baptismi uerè redditur particeps?

Qui promißioni Dei de remißione peccatorum, donatione Spiritus sancti, & uitae aeternae in Baptismo oblatae, firmiter credit.

Superest ne remissio peccatorum prolapsis in peccata post Baptismum? Etiã. Nam Deus per Ezechielem, cap. 33. ait: Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem impij, sed, ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat, & Christus Lucae 15. ait: Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Et diuus Petrus: Patiens est erga nos Deus, dum non uult ullos perire, sed omnes ad poenitentiam recipere, 2. Petri 3. Et omnes pijorant quotidie: Dimitte nobis debita nostra. Et Dauid, Manasse, Petrus, & multi alij consecuti sunt remißionem peccatorum, poenitentiam agentes. Blasphemis uerò, & obstinatis, non restat remißio peccatorum, donec contra conscientiam in peccatis perseuerant, & persequuntur uerbum Dei.

Estne aliquod discrimen inter Baptismum & Sacramentum altaris, siue coenam Domini? Est sanè.

Quodnam? Baptismus praecipuè institutus est, ut semel accipiatur in signaculum filiorũ Dei, & haereditatem omnium bonorum coelestiũ, quae Christus nobis promeruit. Sacramentum altaris, seu coena Domini instituta est, ut saepe accipiatur in signaculum remißionis peccatorum in

quæ post Baptismum rursus prolapsi sumus, ne conscientiæ ad desperationem adigantur.

Errant ne, qui infantibus Baptismum interdicunt? *Errant.*

Quibus hoc argumentis probas? *Et*
Leui. 17. *quia Baptismus successit circumcisioni, quæ fiebat octauo die, nato puero: & quia sancta Eccle-*
Or. Ro. 6 *sia iam multis annis, inde ab Apostolorum tem-*
Matt. 19. *pore, infantes baptizauit, & quia Christus dicit:*
Mar. 10. *Sinite paruulos uenire ad me, nam illorum est regnum cœlorum. Et, Non est uoluntas coram patre meo, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Qui duo loci clarißime testantur, ad pueros etiam pertinere regnum Dei, & promißionem Euangelij, cuius participes fieri non possunt, nisi per Baptismum recipiantur in Ecclesiam, extra quam nulla est salus. Nam ea est regnum Christi, in qua Christus est efficax per uerbum et Sacramenta. Quemadmodum igitur Iudæorum infantes circumcidebantur, & circumcisi placebant Deo: ita quoq; Christianorum infantes sunt baptizandi, & baptizati placent Deo. Nam utriusq; Sacramenti, circumcisionis & Baptismi, eadē est significatio et finis, ut sint uidelicet signum gratiæ promissæ propter Christum, & carnis nostræ mortificandæ. Vnde Paulus Circumcisionem signaculum iustitiæ fidei uocat, ad Roma. 4. Non sunt itaq; arcendi infantes à Baptismo, sed curandum,*

dum, ut quamprimum hoc signo accepto, membra fiant Ecclesiæ & Christi, & Deus promißionem suam de remißione peccatorum eis impertiat.

DE SACRAMENTO ALTAris, seu cœna Domini.

Quid est Sacramentum altaris? Verũ corpus, & uerus sanguis Domini nostri Iesu Christi, sub pane & uino, ab ipso Christo ideo institutum, ut Christiani id manducarent & biberent, ad fidem suam de remißione peccatorum confirmandam, & ad memoriam Christi recolendam.

Quid est cœna Domini? Est diuinum signaculum, quo Christus uerè & præsentialiter nobis offert corpus & sanguinem suum, ut certificet nos de remißione peccatorum & uita æterna.

Quæ sunt uerba, quibus Christus Sacramentum Altaris, seu cœnam suam instituit? Hæc sunt:

Dominus noster Iesus Christus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem, et postquam gratias egisset, fregit, et dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in mei commemorationem. Mat. 26. Mar. 14. Lucæ 22. 1. Cor. 11.

Similiter & postquam cœnauit, ac-

cepto

cepro calice, cùm gratias egiſſet, dedit il lis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum teſtamentum eſt, in meo ſanguine, qui pro uobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite quotieſcunq; biberitis, in mei commemorationem.

Quot ſunt in his uerbis conſideranda? *Duo.*

Quæ? *Primò, Quid Chriſtus nos iubeat facere, deinde quid iubeat nos credere.*

Quid iubet nos facere? *Vt edamus ſuum corpus, & bibamus ſuum ſanguinem, idq; in ſui commemorationem, ut uidelicet annunciemus mortem Domini, donec ueniat, ſicut Paulus interpretatur.*

Quid iubet nos credere? *Primò, ſub pane uerè et præſentialiter eſſe ſuum corpus pro nobis paſſum & crucifixum: ſub uino, uerè et præſentialiter eſſe ſuum ſanguinem pro noſtris peccatis effuſum. Nam Deus uerus eſt & omnipotens, ideo facere poteſt, quæcunq; uult, & ut Paulus inquit Roma. 4. uocat ea, quæ non ſunt, ut ſint, & Pſalmo 32. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Secundò, ſuum corpus pro nobis eſſe in mortem traditum, & ſanguinem ſuum effuſum in remiſsionem peccatorum noſtrorum. Hoc certò nos credere oportet. Nam ſine*

hac

hac fide nihil prodest uti hoc Sacramento. Tertiò, Omnes homines natura filios esse iræ, ut Paulus inquit, conceptos & natos in peccatis, ideoq; in æternum damnandos, nisi Christus filius Dei, homo factus, nos Deo patri, sua morte reconciliasset. Ephe. 2. Psal. 50.

Quis est usus Sacramenti altaris? Vt eo utentes, memoriam redemptionis nostræ factæ per Christum, renouemus, fidemq; nostram de remißione peccatorum, donata gratis, propter Christum, confirmemus. Cùm enim manducamus Corpus Christi, & bibimus eius Sanguinem, sicut ipse instituit, certò statuere debemus, nos membra eius esse, pro quibus sit factus homo, passus & mortuus, pro quo ineffabili beneficio semper illi gratias agere debemus, & charitatis officia exercere erga proximum, quemadmodum ipse nos dilexit, & seipsum tradidit pro nobis. Roma. 8.

Quis dignè sumit hoc Sacramentum? Qui peccata sua ex lege Dei uerè agnoscit & detestatur, & statuit meliora præstare, atq; his uerbis, pro uobis datur, &, pro uobis effunditur in remißionem peccatorum, firmiter credit.

Quis indignè sumit? Qui non agit pœnitentiam, nec credit sibi peccata condonari propter Christum. Vnde Paulus grauißima cõminatione usus est aduersus eos, qui indignè sumunt, inquiens; Quisquis ederit panem hũc, aut biberit 1. Cor. 11.

de

de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Item: Qui edit, aut bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini &c. Ideo manifestis criminibus obnoxij, ad hoc Sacramentum non sunt admittendi, nisi testentur se agere pœnitentiam & credere in Christum.

Quot requiruntur in usu Sacramenti Altaris? Tria.

Quæ? Agnitio peccatorum, uitæ emendatio, & fides, qua certò credimus Christum corpus suum pro nobis in mortẽ tradidisse, & sanguinem suum effudisse in remißionem peccatorum nostrorum.

Quando Sacramento Altaris est utẽdũ? Cùm conscientia nostra peccatis angitur, & certa esse de remißione peccatorum desiderat.

Quot mouere nos debent ad sumendum Sacramentum Altaris? Tria.

Quod est primum? Præceptum Dei, Nam inquit Christus: Edite, bibite, & hoc facite in mei cõmemorationem, Quibus uerbis obtẽperare debemus, & hoc Sacramento, ad cõfirmationem nostræ fidei, frequẽter uti. Quoties uerò, & quo tẽpore id fieri debeat, Christus cuiq; liberũ reliquit.

Quod secundũ? Promißio, pro uobis datur, & pro uobis effunditur in remißionẽ peccatorũ.

Quod est tertium? Nostra neceßitas, Quotidie enim peccamus, & opus habemus aßidua

dua

dua remißione peccatorum, & nostræ fidei, quæ haud facilè simplici uerbo credit, confirmatione, que cùm nobis in hoc Sacramento promittantur & offerantur, sæpe eo uti debemus.

Quid oras ante communionẽ? *Dico sic:* O clementissime Domine Iesu, da quęso, ut tuum sanctissimum corpus & preciosissimum sanguinem dignè accipiam, ad confirmandã fidem meam de remissione meorum peccatorum, & accendendam & augendã dilectionem erga proximum, Amen.

Quid oras post communionem? Di*co, flexis genibus:*

Ago tibi gratias Domine Iesu Christe, pro tua ineffabili charitate, quòd genus humanum per tuam passionem & mortem, ab æterna morte & damnatione redimere dignatus es, & oro te, ne patiaris hoc tuũ sanctissimum corpus pro me frustra in mortem traditũ, & hunc sacrosanctũ sanguinem tuũ effusum esse, sed tuo corpore semper pascas animum meum, tuo sanguine uiuifices spiritum meum, ut paulatim adolescens uirtutũ auctibus, efficiar idoneum membrũ corporis tui mystici, q̊d est ecclesia, Amen.

DE CHRISTIANA VOCATIONE.

Quid est Christiana Vocatio? *Genus uitæ, quod uerbo & mandato* Dei *nititur.*

Quod est uerbum & mãdatum de uocatione? *In sudore uultus tui uesceris pane tuo,* Gene. 3. *Et unusquisq; in eo, in quo uocatus est, maneat apud* Deum. 1. Cor. 7.

Quotuplex est Vocatio? *Duplex.*

Quomodo? *Ecclesiastica & Politica.*

Quid est uocatio Ecclesiastica? *Munus docendi* Euangelium *& administrandi Sacramẽta* Ecclesiæ, *quæ summa & amplißima est in terris functio, cui iungendum est & munus instituendi iuuentutem, & diligentia discendi bonas literas, quibus* Ecclesia *in tradenda & explicanda doctrina* Euangelij *opus habet.*

Quid est uocatio Politica? *Quodcunq; munus, quo constituuntur, administrantur, et conseruãtur respublicæ, & adiuuatur proximus, ut est uocatio magistratuum, cura alendæ familiæ, educandi & rectè instituendi liberos, seruorum cõditio, omniaq; honesta artificia, quibus uita humana carere non potest.*

Quot in Vocatione requiruntur? *Duo.*

Quæ? *Primum, ut nitatur uerbo & mandato* Dei, *sine quo omnia genera uitæ, quantumuis sancta in speciem, sunt impia, nec placent* Deo. *Secundum, ut sint destinata ad propagandam & illustrandã gloriam* Dei, *et ad iuuandũ proximũ.*

Quis

Quis esse debet cuiusq; uocationis finis? Propagatio gloriæ Dei, & utilitas proximi. Omnes enim homines ad hoc diuinitus uocati sunt, ut suo quisq; loco aliquid studij seu operæ conferat ad illustrandam gloriam Dei, & adiuuandum proximum. Et hic finis esse debet omniũ nostrarum actionum.

Suntne bona opera dicenda, quæ fiũt iuxta piam uocationem? Sunt, & quidẽ longè optima, & Deo gratißima. Talia enim opera soli Deo placent, & sunt uera sacrificia, & hostiæ spirituales, quas Deus à suis requirit, et eas premijs corporalibus & spiritualibus ornat. Id quod omnes pios adhortari debet, ut diligenter officia suæ uocationis quisq; faciat, & de sua uocatione pia, quantumuis humili & contempta coram mundo, magnificè iudicet ac sentiat.

Est ne pia uocatio eorum, qui dant operam bonis literis? Non solum ea pia est & sancta, sed Ecclesiæ docendæ & administrandis rebuspublicis summè necessaria. Nã sine literis sacra scriptura & leges intelligi, & tradi alijs non possunt, nec ulla pars uitæ honestè coli, institui, & gubernari. Quare gratißimum cultum Deo præstant, & plurimis præmijs & in hac uita, & futura exornabuntur studiosi adolescentes, qui sedulam operam bonis literis discendis impendunt, ut aliquando Ecclesiæ utilitati, & rei

publicæ emolumento esse poßint. Econtra, grauißimas pœnas Deo dabunt ignaui, qui literarũ studio à parentibus aut alijs destinati, sectantur otia, negligunt occasionem discendi, & tempus, quod studijs est ipsis concessum, perdunt ignauia & otio. Rem item gratam Deo faciunt illi parentes, qui suos liberos bonis ingenijs præditos, studio literarum dedunt: peccant contrà illi, qui uel per licentiam liberos corrumpunt, uel propter opes cumulandas eos abdicant literis, & manuarijs opificijs adiungunt, quod uerè sacrilegium dicendum est. Nam bona ingenia, & apta studijs, Ecclesiæ & rebus publicis scelestè deprædamur.

DE CRVCE.

Quid est Crux? Quælibet afflictio, nobis certo consilio & uoluntate Dei imposita.

Quotuplex est crux? Triplex.

Quæ est prima? Persecutio iustorum, quam patiuntur propter confeßionem Euangelij & iustitiæ, de qua Matthæi 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum cœlorum. Et 1. Timo. 3. Omnes qui uolunt piè uiuere in hoc seculo, persecutionem patientur. Et 1. Petri 4. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis.

Quæ est secunda? Afflictio, quam Deus nobis immittit, uel, ut nos reuocet ad pœnitentiã, & peccati reliquias in nobis mortificet, uel, ut

per

per eam gloria Dei fiat illustrior, qualis crux fuit Lazari, Lucæ 16. & cæci, Ioan. 9.

Quæ est Tertia? Pœna facinorosorum, quam patiuntur propter admissa flagitia, de qua 1. Pet. 4. Ne quis uestrum affligatur, ut homicida, aut fur, aut facinorosus, quæ tamen crux, si à pœnitentibus toleratur æquo animo, & fide in Christum, est sancta, sicut supplicium latronis pendentis cum Christo in cruce. Lucæ 23.

Quot sunt Crucis species? Duæ.

Quæ? Crux externa & interna.

Quæ est Crux externa? Quæ toleratur corpore, seu bonis externis, ut est persecutio propter iustitiam & confeßionem Euangelij, fames, paupertas, exilium, cruciatus, orbitas liberorum, caritas annonæ, mala ualetudo, mors denique ipsa corporalis, quæ omnium calamitatũ finis est, & uia ad uitam & gloriam cœlestem.

Quæ est crux interna? Tentatio spiritualis seu tristitia cordis, qua etiã sancti interdũ affliciuntur, cùm sentiunt iram Dei in afflictionibus, qualis tentatio fuit Christi, cùm exclamaret in cruce, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Mat. 27.

Quis est usus crucis? Vt Deus nos per eam reuocet ad pœnitentiam, & ad cognitionem nostræ infirmitatis perducat, peccatum in nobis mortificet, fidémque nostram probet &

exerceat, & gloria Dei per nos innotescat diis, & fiat illustrior.

Quot consolari nos debent in cruce? Quatuor.

Quod est primum? Voluntas Dei, quòd non affligimur casu, sed certo consilio & permißione Dei, iuxta hoc Matthæi 10. Capilli uestri omnes numerati sunt, & 1. Reg. 32. Dominus mortificat & uiuificat.

Quod est secundum? Mandatum Dei. Vult enim Deus, ut sui exerceantur cruce, & uarijs afflictionibus in hac uita, ut similes facti imagini sui filij, cum ipso glorificentur. Roma. 8. Ideo præstanda est Deo obedientia in afflictionibus, et peccatū est indignatio, seu impatientia in cruce seu afflictionibus.

Quod est tertium? Afflictiones non esse signa iræ Dei, sed paterni amoris & uoluntatis Dei erga nos, iuxta illud Prouer. 3. Quem diligit Dominus, hunc corripit. Et Apocaly. 3. Ego quos diligo, arguo & castigo.

Quod est quartum? Promißio auxilij & liberationis, quā Deus promisit suis, Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, et ego eripiam te, & tu glorificabis me.

Sunt ne afflictiones dignę uita ęternæ? Nō. Sola enim mors Christi est precium uitæ æternæ, non nostra ulla opera, aut paßiones. Et Pau-

lus

lus Roma. 6. uitam æternam, donum Dei uocat, & capite octauo inquit: Reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos.

DE BONIS OPERIBVS.

Quot partibus uita Christiana constat? Duabus.

Quibus? Fide, & bonis operibus, iuxta illud Pauli, 1. Timoth. 1. Summa mandati est, Dilectio ex corde puro, conscientia bona, & fide non simulata.

Quid est Fides? Certa fiducia, qua statuimus, Deum nobis esse propitium gratis propter Christum.

Quis est usus fidei? Vt per ipsam apprehendamus misericordiam Dei promissam propter Christum.

Quis est fructus, seu effectus fidei? Remißio peccatorum, iustificatio, pax conscientiæ, & bona opera.

Quæ sunt bona opera? Quæ à Deo in Decalogo præcepta sunt, ad gloriam Dei, utilitatem proximi, & carnem coërcendam. Nam traditiones humanæ, & cultus electitij, non sunt bona opera dicenda, sed cultus inutiles, quibus frustra Deus colitur, iuxta illud: Frustra me colunt mandatis hominum, Matth. 15.

Quotuplicia sunt bona opera? Duplicia.

Quomodo? *Interna, & externa.*

Quæ ſunt Interna? *Motus interiores animi, conſentientes legi Dei, quos Spiritus ſanctus, per fidem ex uerbo Dei, in nobis creat & excitat.*

Qui ſunt illi motus? *Timor & dilectio Dei, fiducia erga Deum, inuocatio Dei, patientia, charitas erga proximum, beneficentia, caſtitas, ueritas, & ſimiles uirtutes utriuſq; tabulæ Decalogi.*

Quæ ſunt externa? *Officia ciuilia, quibus coram mundo fidem noſtram teſtamur & exercemus, adiuuamus proximum, carnemq; noſtrã domamus.*

Quæ ſunt talia? *Celebratio & conſeruatio ceremoniarum, quæ diuinitus ſunt inſtitutæ, diligentia in obeunda uocatione, obedientia erga magiſtratum, temperantia, ſobrietas, liberalitas, eleemoſynæ, preces, ieiunia, cæteraq; exercitia corporalia.*

Quis eſt uſus bonorum operum? *Vt Deus per ea glorificetur, proximus adiuuetur, et caro noſtra reprimatur.*

Quomodo fiunt bona opera? *Cùm ſpiritus ſanctus, fide concepta, gratis remiſſa eſſe nobis peccata propter Chriſtum, mouet & impellit per uerbũ Dei corda noſtra, ut ultro obediamus legi Dei. Neq; enim ſine Spiritu ſancto uerè time-*

mus aut diligimus Deum, non ipsum inuocamus, non ei confidimus, nec ex animo officia charitatis præstamus proximo. Externa opera legis humana ratio seu uoluntas utcunq; præstare potest sine Spiritu sancto, ut Hypocritæ magnifica opera coram mundo faciunt, quæ tamen opera Deo non placent, quia fiunt sine fide in Christũ, iuxta illud Roma. 14. Quod non est ex fide, peccatũ est, Itẽ: Sine fide fieri nõ potest, ut quis Deo placeat. Ia. 11.

Propter quid bona opera placẽt Deo? Propter solam fidem in Christum, non propter suam dignitatem aut perfectionem. Sunt enim nostra opera imperfecta & immunda, nec satisfaciunt legi propter reliquias peccati, quæ adhuc in nobis hærent, sed quia persona placet Deo propter Christum, ipsum quoq; opus, etiamsi sit imperfectum, Deo placet, non sua dignitate, sed fide in Christum.

Quot mouere nos debent ad benè operandum? Quinq;.

Quod est primum? Necessitas, quia Deus præcepit ut sibi obediamus, & oportet nouam uitam in nobis inchoari, fidemq; nostram probari & exerceri bonis operibus, iuxta illud: Fides sit per charitatem efficax, & fides sine operibus mortua est. Gala. 5. Iacob. 2

Quod est secundum? Dignitas bonorum operum, per ea enim Deus glorificatur.

Et sunt dona Spiritus sancti, & signa, quæ admonent nos de uoluntate Dei, & testantur nobis contingere remißionem peccatorum, & alia benefi-
Lucæ 6. cia diuina, iuxta hoc: Remittite, & remittetur uobis.

Quod est tertium? Præmia corporalia & spiritualia, quæ Deus promittit bonis operi-
Matt. 5. bus, quemadmodum Christus inquit: Merces uestra copiosa est in cœlis, & Paulus 2. Timo. 4. Pietas promißiones habet præsentis uitæ et futuræ.

Quod est quartum? Exercitium fidei. Cùm enim alijs benefacimus, statuere debemus, quòd Deus nobis quoq; ignoscat, nosq; præmijs temporalibus & æternis ornare uelit, non, quia opera nostra per se digna sunt remuneratione, sed quia Deus ex gratia sua operibus, quæ ex fide facimus, remunerationem promisit.

Quod est quintum? Auxilium & præsentia Spiritus sancti, qui nobis benè operantibus adest, nos adiuuat & custodit, ne in errores, aut flagitia pertrahamur, quod beneficium Dei nulla uox humana satis eloqui potest.

Merentur ne bona opera uitam æternam? Non. Nam uita æterna nobis donatur gratis propter Christum, non propter ulla nostra opera. Vnde Paulus ad Rom. 6. Vitam æternam, donum Dei uocat, inquiens: Stipendium peccati mors. Donum autem Dei, Vita æterna, per Iesum

Christum

Christum Dominum nostrum. Vocatur interdum vita aeterna merces, non quòd debeatur nobis propter dignitatem nostrorum operum, sed quia Deus promisit eam se nobis daturum tãquam iustis, si in Christum credimus. Matt. 5.

Quæ sunt mala opera? *Quæ contra mandatum Dei fiunt.*

Qnotuplicia sunt? *Duplicia.*

Quomodo? *Interna & externa.*

Quæ sunt interna? *Motus interiores animi, dissentientes à lege Dei.*

Qui sunt isti motus? *Contemptus & odium Dei, dubitatio de misericordia Dei, fiducia creaturarum & propriæ iustitiæ, & reliqua uitia interna.*

Quæ sunt externa? *Peccata, quibus gloria Dei deformatur, & læditur proximus.*

Quæ sunt? *Blasphemiæ & prophanationes nominis Dei, cultus impij, contemptus & negligentia ceremoniarum, seditiones, homicidia, adulteria, scortationes, testimonia falsa, mendacia, & id genus alia peccata externa.*

Quot nos deterrere debent à peccatis, seu malis operibus? *Tria.*

Quod est primum? *Dilectio Dei. Quia enim Deus tantopere nos dilexit, ut proprio suo filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Roma. 8, Cauere nos quoq; debemus, ne*

eam misericordem & propitium patrem nostris peccatis offendamus, sed magis diligamus & reuereamur in omnibus actionibus nostris.

Quod est secundum? Ira Dei aduersus peccata, quam in se concitant, qui peccatis ultrò indulgent contra conscientiã. Non autem constituit nos Deus, ut iram nobis concitemus, sed ut salutem consequamur per Dominum nostrũ Iesum Christum. 1. Thessa. 5.

Quod est tertium? Pœnæ peccati corporales, ut sunt egestas, caritas annonæ, bella, uaria genera morborum, mors immatura & subitanea, & aliæ innumeræ calamitates. Et spirituales, ut sunt, ira Dei, cæcitas seu induratio mentis, conscientiæ intranquillitas, priuatio Spiritus sancti, extinctio fidei, & æterna damnatio, seu cruciatus perpetui in omnibus qui non resipiscunt.

DICTORVM BREuis repetitio & usus.

Quid summatim in Catechismo hactenus traditum est? Quid Deus nos facere & omittere uelit, Quidq; de Deo, ut seruemur, credere nos oporteat. Quomodo sit orandum, pœnitendum, confitendum, & utendum absolutione. Quomodo fides nostra sit confirmanda

Sacra-

Sacramentis, exercenda pia uocatione, afflictionibus & bonis operibus.

Quis est horum omnium usus? Vt Deo præstemus obedientiam, peccata nostra agnoscamus per legem Dei, utq; pœnitentiam agentes, credamus peccata nobis à Deo gratis condonari propter Christum, & hanc fidem augeamus oratione, confirmemus Sacramentis, exerceamus afflictionibus, testemurq; bonis operibus, quò ita sobriè, iustè & piè uiuentes in hoc seculo, consequamur adoptionem filiorum Dei, remißionem peccatorum, iustificationem, Spiritum sanctum, & uitam æternam, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis, Amen. Tit. 2.



QVAESTIVNCVLARVM de Christiano Catechismo, Finis.

EXE-

EXEGESES BREVISSIMAE, VERBORVM AC

Phrasium, quinq; partium Catechismi, per Quaestiones, ad textum melius intelligendum, perutiles pueris.

QVæ est prima pars Catechismi? *Decalogus, siue Decem præcepta.*

Quid sonat Decalogus? *Decem præcepta, siue decem uerba, à δέκα, id est, decem, & λόγος, id est, uerbum seu sermo.*

Dic primum præceptum Decalogi.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi è terra Aegypti. Non habebis Deos alienos coram me.

Quis hæc loquitur seu præcipit? *Deus æternus & omnipotens.*

Quid est Deus? *Est mens æterna, intelligens, omnipotens, sapiens, iusta, uerax, & bona, seu benefica, quæ se uerbo suo, & misso filio, patefecit mundo, una in essentia, trina in personis, Deus Pater, Filius, et Spiritus sanctus, quæ omnia condidit ex nihilo, eademq; adhuc conseruat & sustentat uerbo suo, nosq; exaudit per filium, expressam imaginem suam, factum pro nobis hominem, & inchoat in nobis nouam uitam & lucem, timorem Dei, fidem, & alios bonos motus per Spiritum sanctum, qui ab utroq;, & Patre & filio eius procedit ab æterno.*

Cur

Cur addidit, Ego? *Vt gentium Idola excludat, seq; solum uerum Deum esse doceat.*

Cur addit, Sum? *Vt se immutabilem et aeternum esse ostendat.*

Cur se uocat Dominum? *Vel, quòd omnium rerum dominium solus obtineat in coelo & in terra, nosq; contra hostes nostros tueri facilè poßit, Vel, quòd constans & uerus sit, in suis promißionibus ac minis, Nam Dominus Hebraeis à firmitudine dicitur.*

Cur addit, Tuus? *Vt testetur se nostri curam agere, & uelle nos exaudire, iuuare & saluare.*

Cur addit, Qui te eduxi è terra Aegypti? *Vt Iudaei admonerentur hoc opere, seu mirabili liberatione sua ex Aegypto, se uerum Deum, non Idolum aliquod gentilium, in his mandatis seruandis colere.*

Quid est Deum eduxisse Israëlitas ex Aegypto? *Est liberasse eos per Mosen ex domo seruitutis Pharaonis regis Aegypti, sub cuius Tyrannide fuerunt oppreßi. Haec admiranda liberatio populi Iudaici, figura fuit spiritualis liberationis, qua per Christum liberati sumus à morte, peccato, & Tyrannide Diaboli. Et quemadmodum Iudaei inuocabant eum Deum, qui Israëlitas ex Aegypto liberauit mirabiliter, ita & nos*

nos eundem Deum colere & inuocare debemus, qui nobis suum filium misit, & nos per eum liberauit è regno Satanæ, peccati ac mortis.

Quid est habere Deum? Est uero & æterno Deo, qui cœlum & terram creauit ex nihilo, & se dato uerbo & misso filio patefecit mūdo, toto pectore confidere.

Quid habere Deum alienum? Fidere creaturis, & ab eis opem ac salutem expectare. Nam illud cuiq; Deus est, quod toto pectore timet & colit.

Dic secundum Præceptum.

Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum.

Quid est nomen Domini seu Dei? Est honorifica de Deo fama, seu celebratio ueritatis, omnipotentiæ & misericordiæ.

Quid est assumere nomen Domini in uanum? Est abuti eo ad res uanas & perniciosas proximo, falsò per illud iurare, imprecari mala alijs, execrari, serere & defendere impias doctrinas & cultus, prætexere nomen Dei, religionis, Euangelij, iniustis cupiditatibus, ambitioni, auaritiæ, libidinibus & odijs.

Dic tertium Præceptum.

Sabbatum sanctifices.

Quid est Sabbatū? Quilibet dies, quo publicè uacatur, gratia audiēdi uerbi Dei et admini

strandi

ſtrādi Sacramēta, et inuocationis publicæ cauſa.

Quid eſt ſanctificare diem ſabbatum? Eſt ipſum in res ſeu actiones ſanctas collocare, non otio tranſigere. Sunt autem actiones ſacræ, audire uerbum Dei, uti Sacramentis, intereſſe ceremonijs publicè inſtitutis, & orare publicè in Eccleſia, exempli cauſa.

Quotuplex eſt ſabbatum? Duplex.

Quomodo? Corporale, quo à laboribus ceſſamus, uel cauſa actionum ſacrarū, uel reparādi uires corporis. Et ſpiritual e, quo à peccatis ſeu uitijs ceſſamus, et uolūtati diuinæ totos nos ſubijcimus.

Dic quartum Præceptum.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longæuus ſuper terram.

Quid eſt honorare? Eſt alteri ex animo laudem ſapientiæ, & iuſtitiæ, tribuere.

Quid eſt honorare parentes? Eſt primò honorificè de ipſis ſentire, hoc eſt, agnoſcere in eis diuinam præſentiam & ordinationem Dei, quòd ſcilicet uoluntate & autoritate Dei nobis imperent, noſq; ipſis iuſſu et mandato diuino ſubſimus. Secundò, eſt eorum mandatis ac monitis libenter obedire. Tertiò, ignoſcere errantibus. Quartò, iuuare eos noſtra opera indigentes, alere ac fouere ætate feſſos, quod Græci ἀντιπελαργεῖν dicunt.

Qui parentum nomine intelliguntur? Primò,

Primò, parentes corporum, pater & mater. Secundò, animorum parētes, ut ministri uerbi Dei, & præceptores. Tertiò, fortunarum conseruatores, ut Magistratus. Quintò, maiores natu, et qui dignitate & eruditione nos antecellunt.

Quid est longæuum esse super terrā? *Est diu ac fœliciter uiuere, non puniri morte immatura, aut alijs calamitatibus huius uitæ.*

Dic quintum Præceptum.

Non occides.

Quid est occidere? *Est sine autoritate Magistratus alteri uitā adimere, seu corpus proximi quocunq; modo lædere, & uindictæ esse cupidum.*

Quot modis occiditur? *Tribus. Primò, Affectu odij uel inuidiæ. Secundò, Lingua seu uerbis, hoc est, calumnijs, conuitijs, & maledictis. Tertiò, Manu, seu facto externo.*

Dic sextum præceptum.

Non Mœchaberis.

Quid est mœchari? *Est adulterium in alterius uxorem committere, fornicari, & quocūq; modo impudicum esse, uel affectu, uel uerbis, uel opere, item aspectu siue uisu.*

Dic septimum Præceptum.

Non furtum facies.

Quid est furtum facere? *Est rem alienam contra iustitiam appetere, auferre, & usurpare inuito domino, idq; uel uerbis dolo instructis,*

structis, uel ui externa, idq́; clam siue palàm.

Dic octauum praeceptum.

Non loqueris contra proximum tuū falsum testimonium.

Quid est loqui falsum testimonium? *Est falsa loqui & testari, in damnum proximi, ei obtrectare, mentiri, & sinistrè suspiciosum esse.*

Dic nonum praeceptum.

Nō cōcupisces domum proximi tui.

Quid est concupiscere, uel desiderare aliena? *Est cupidum esse alieni commodi, nec sua sorte qualicunq; esse contentum.*

Quid appellatione domus proximi continetur? *Eius familia, possessiones paternae, dignitates, fœlix in rebus agendis successus, uxor, liberi, & quaecunq; ad conseruationem domus seu familiae sunt necessaria, quae decimo praecepto enumerentur.*

Dic summam Praeceptorum Decalogi.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Matth. 22.

Quid est diligere Deum? *Est eum tanquam autorem ac fontem omnium bonorum, omnibus rebus seu creaturis in amore nostro anteponere.*

Quid diligere ex toto corde? *Est amare ex uniuersis affectibus. Nam cor affectuum fons ac sedes est.*

Quid ex tota anima? *Ex omnibus uitæ functionibus, quas anima per corpus operatur & efficit, ut sunt, uidere, audire, dormire, loqui &c.*

Quid tota mente? *Ex omnibus uiribus mentis, uidelicet intellectu & uoluntate.*

Cur additur particula, toto & tota? *Vt significet legem perfectam obedientiam à nobis requirere.*

Quis est noster proximus? *Quilibet homo, qui ope seu præsidio nostro indiget.*

Quid diligere proximum sicut seipsum? *Facere ea alijs, quæ nobis fieri abipsis*
Matt. 7. *cupimus, & contrà, alijs non facere, quæ nobis fieri nolumus.*

Dic promissiones & comminationes Decalogi.

Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, uisitans iniquitatem patrum super filios, in tertiam & quartam generationem eorū, qui oderunt me: et faciens misericordiam in multa milia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Exo. 20.

Quid est ęmulator seu zelotes? *Qui in amore riualem ferre nequit.*

Cur

Cur se Deus æmulatorē appellat? *Quòd cultus sibi debitos, ut sunt timor, amor, et fiducia, transferri in alium non patitur, sed eos, qui hoc faciunt, grauiter uindicat ac punit.*

Cur fortis? *Quia satis uirium ad uindicandum impios cultus habet.*

Quid est reddere seu uisitare iniquitatem? *Est punire.*

Quid uisitare iniquitatem patrum super filios? *Est punire seu pœnis corporalibus & æternis afficere posteros, propter maiorum impietatem, si in impietate maioribus fuerint similes posteri. Alioquin autem, qui peccauerit, ipse morietur, ut Ezechiel ait.* Ezec. 18.

Quid in tertiam & quartam generationem? *In ipsos posteros, seu familiam, in nepotes, abnepotes, et alios omnes, qui nascentur ab impijs maioribus. Quidam tertiam & quartam generationem accipiunt pro septima generatione, quòd tria & quatuor coniuncta, septem conficiant.*

Quid facere misericordiam? *Est benefacere, uel beneficia liberaliter & benignè cōferre. Nam misericordia Hebræis sæpe liberale donum seu beneficium significat, ut Prouerb. 16. Misericordia & ueritate redimitur iniquitas.*

Quid in multa milia? *In plurimos siue in infinitos. Nam certus numerus pro incerto ponitur.*

DE VERBIS AC PHRASIBVS *Symboli Apostolici.*

Quae est secunda pars Catechismi? *Symbolum Apostolicum.*

Quid significat Symbolum? *Collationem, hoc est, illud, quod plures in unum contulerunt, quasi simul collatum, à graeco uerbo συμβάλλω, quod est, confero.*

Vnde hoc Symbolum dicitur Apostolicum? *Ab Apostolis autoribus, à quibus haec summa Christianae fidei profecta creditur. Nam dicuntur Apostoli, antequam in orbem uniuersum discederent praedicaturi Euangelium inter gentes, hanc breuem summam futurae suae de Deo doctrinae, & eius in humanum genus beneficijs, composuisse, ut hoc indicio agnosceretur is, qui Christum uerè praedicaret, secundum Apostolorum sententiam & traditionem. Additur & ideo Apostolicum, ut hac nota ab alijs Symbolis, Athanasij, & Nicenae Synodi, discernatur.*

Quid est credere? *Est illud, quod oculis non uidetur, seu rationi humanae non apparet, esse certò statuere, Vel, Credere, est omni uerbo Dei constanter assentiri.*

Quid

Quid est credere in Deum? *Primò est statuere esse Deum, hoc est, esse æternam aliquã mentem, quæ sit omnis boni in natura autor & opifex. Secundò, Est omnem suam fiduciam in eundem Deum collocare, omniaq; bona ab ipso uno petere fiducia ipsius filij.*

Cur Deum patrem appellas? *Quia paterno affectu seu amore nos prosequitur, alit nos, fouet, sustentat, ac defendit, sicut pater suos liberos.*

Cur omnipotentem? *Quia omnia quæcunq; uult, potest uerbo suo efficere.*

Cur creatorem cœli & terræ? *Quòd cœlum & terram cum omnibus, quæ in eis continentur, suo uerbo creauit ex nihilo, eaq; adhuc omnia gubernat & sustentat.*

Quid significat cœlum? *Primò, firmamentum, cui sol, luna, & stellæ infixæ sunt. Secundò, aërem. Tertiò, domicilium siue sedem Dei, adimplentis omnia.*

Quæ appellatione cœli ueniunt? *Quæcunq; supra nos eminent, ut sol, luna, stellæ, orbes cœlestes, nubes, aër, item spiritus boni & mali.*

Quid significat terra? *Elementum aquis eminens, quod homines & animantia inhabitant.*

Quæ appellatione terræ ueniunt? *Omnia animantia, homines, & bruta, omnes plan*

tæ siue stirpes, item metalla, lapides, & quicquid terræ & aquis inest.

Dic secundum Articulum.

Credo in Iesum Christum filiũ eius unicum Dominum nostrum, qui conceptus est, &c.

Quid est credere in Iesum Christum? *Est statuere eum esse uerum* Meßiam *siue seruatorem, mundo à* Deo *promissum, propter quem solum* Deus *nobis sit propitius, et peccata remittat.*

Quid significat Iesus? *Seruatorem.*

Quid Christus? *Vnctum, gesalbet. Hebraicè, Meßias.*

Cur filius Dei nominatus est Iesus? *Quia saluos nos fecit à peccatis nostris, Matthei primo.*

Cur Christus, unctus, siue Messias? *Quia est noster Rex & sacerdos. Nam Reges et Sacerdotes ungi in ueteri testamento solebant, cùm creabantur.*

Cur noster Rex? *Quia regit nos suo uerbo ac spiritu.*

Cur Sacerdos? *Quia placauit nobis suum patrem, & quotidie intercedit pro nobis.*

Cur CHRISTVS dicitur filius Dei? *Quia est expressa imago Dei patris, ab æterno à*

patre

patre genitus, æquali cum Deo Patre sapientia, & potentia æterna.

Cur additur unicus? *Quia solus Christus filius Dei est natura, nos uerò adoptione filij Dei efficimur, per fidem in ipsum. Vnde Augustinus ait: Nos filios Dei gratia facit, Christum autem natura.* In Ioan. cap. 10.

Cur dicitur dominus? *Quia dominatur omnibus creaturis.*

Cur noster Dominus? *Quia nos à peccato, morte, & diabolo liberauit, & in suum regnum, gratiæ & gloriæ transtulit.*

Dic tertium Articulum.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine.

Quid est filium Dei conceptum esse à Spiritu sancto? *Est ipsum, uirtute & operatione, seu efficacia Spiritus sancti, induisse uerā humanam naturā, seu uerum corpus humanum et mortale assumpsisse, absq; omni peccati macula.*

Cur conceptus est à Spiritu sancto? *Vt nostram conceptionem immundam & peccatis obnoxiam sanctificaret.*

Quid est filium Dei natum ex Maria uirgine? *Est eum ex carne Mariæ uirginis, uerum esse factum hominem.*

Cur natus est ex uirgine? *Vt nostrā impuram natiuitatē emundaret & sanctificaret.*

Dic quartum Articulum:

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descēdit ad inferna.

Quid est filium Dei esse passum sub Pontio Pilato? *Est eum à Iuda esse proditum, à Iudæis captum, uinctum, consputum, spinis coronatum, flagellis cæsum, multisq; alijs ignominijs affectum, idq; anno 18. Tiberij Cæsaris, cùm Pontius Pilatis præses Hierosolymis esset.*

Cur passus est filius Dei? *Vt pro peccatis nostris suo patri satisfaceret, nostramq; crucem & afflictiones, sua paßione & cruce, sanctificaret, & tolerabiles nobis redderet & salutares.*

Quid est filium Dei esse crucifixum? *Est eum medium inter duos latrones cruci seu patibulo fuisse affixum, manibus ac pedibus ipsius clauis perforatis.*

Cur est crucifixus? *Vt factus pro nobis maledictum (Maledictus enim omnis, qui in ligno* Deut. 21. *pendet) nos à maledictione eriperet.* Gal. 3.

Quid est filium Dei esse mortuū? *Est eius animam uerè à corpore discesisse, in tertiū usq; diem, quo corpori iterum coniuncta est, etsi diuinitas neq; ab anima, neq; à corpore Christi separata fuit.*

Cur est mortuus? *Vt nos per suam mortem, à peccato & morte æterna liberaret.*

Quid

Quid est sepultum fuisse? Est corpus eius in monumento lapideo fuisse reconditum.

Cur est sepultus? Vt sua sepultura corporum nostrorum sepulturam sanctificaret.

Quid est ad inferna descendisse? Est non solùm Christum horrorem mortis uerè propter nos sensisse, sed sedem etiam ac locum inferorum post mortem, animam Christi petiisse pro nobis, quemadmodum hoc uetus Ecclesia semper intellexit & credidit. An uerò in inferno dolores ullos, aut quales senserit anima Christi, nostrum non est curiosius inquirere. Hoc satis est tenere & credere, Christum nostro nomine ad inferos uerè descendisse, redemptorem, & inde rediisse uictorem triumphantem de peccato, morte & inferno. Col. 2.

Cur ad inferna descendit? Vt inferorum regno deuastato, nos à peccato & morte, in libertatem uindicaret.

Quis est quintus?

Tertia die resurrexit à mortuis.

Quid est Christum à mortuis resurrexisse? Est eum factum esse uictorem mortis, & constitutum à Deo uitæ Dominum, hoc est, regnare iam in cœlis diuina potentia, & efficacem esse in suis liberandis, à peccato, morte, tyrannide Satanæ, & omnibus malis.

Cur resurrexit à mortuis? *Vt uicto peccato & morte, nobis nouam iustitiam & uitā æternam restitueret, nostra etiam corpora per illius resurrectionem in nouißimo die resurgerent uiua ac integra.*

Quis est sextus?

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

Quid est ad cœlum ascendisse? *Est eum suam corporalem præsentiam ab oculis nostris subduxisse, atq; nunc regnare in cœlis, cum patre suo super omnia.*

Cur in cœlum ascendit? *Vt ibi omnia quæ sunt in cœlo & terra adimpleret & administraret.*

Quid est Christum sedere ad dexterā Dei patris omnipotentis? *Est æqualem esse potentia diuina cum Deo patre, omniumq; rerum constitutum esse hæredem & Dominum. Nā dextera in scriptura potentiam significat.*

Cur sedet ad dexteram Dei? *Vt noster ibi sit unicus & perpetuus mediator ac pontifex apud Deum patrem, interpellans pro nobis.*

Quis est septimus?

Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Quid est filium Dei uenturum esse è cœlis? *Est eum in nouißimo die appariturū esse*

esse in nube, conspicuum seu uisibilem cunctis hominibus, in magna potestate, & gloria cum omnibus Angelis.

Cur uenturus est? Vt iudicet uiuos & mortuos.

Quid est iudicare uiuos & mortuos? Est tradere æternæ morti omnes impios, & contemptores Euangelij, credentes uerò declarare hæredes esse uitæ æternæ, & regni cœlestis.

Qui intelliguntur uiuorum nomine? Quicunq; in ipso die extremi iudicij uiuentes in hac terra inuenientur, necdũ uita erũt defuncti.

Qui nomine mortuorum? Omnes, qui ab Adam usq; ad finem mundi ex hac uita discesserunt.

Dic octauum Articulum.

Credo in Spiritum sanctum.

Quid est credere in Spiritum sanctũ? Est omnem suam fiduciam in spiritũ sanctum, tanquam uerum Deum, collocare.

Quid est Spiritus sanctus? Tertia persona in diuinitate, uerus & æternus Deus, cum Deo Patre & Filio, ab utroq; procedens, sanctificans, & uiuificans corda nostra per fidem.

Cur uocatur Sanctus? Quia piorum mentes per fidem in Christum sanctificat, hoc est renouat, uiuificat, & consolatur.

Quæ sunt officia Spiritus sancti?

Sancti-

Sanctificare, uiuificare, iustificare, regenerare, creare, operari in nobis fidem, spem, charitatē, & reliquas uirtutes, reddere nos certos de gratia Dei, & accipienda uita æterna, docere nos beneficia Christi, consolari & cohortari, ut mortem & omnia mala uincamus, & despiciamus.

Dic nonum Articulum.

Credo Ecclesiam sanctam catolicam, sanctorum communionem.

Quid est credere Ecclesiam? Est credere, quòd sit in terra aliquis cœtus hominum, sparsus per totum mundum, qui uerè in Deū per Christum credit, eumq; inuocat fiducia Mediatoris, & doctrinam Prophetarum, Christi, & Apostolorum, amplectitur, & legitimè utitur Sacramentis, à Christo institutis.

Quid est Ecclesia? Est cœtus hominum, qui in Christum uerè credunt, in hac uita contemptus, & cruci subiectus.

Cur uocatur sancta? Quòd à Deo per fidem in Christum, sancta reputatur, Ephe. 5. Et sanctè, iustè, sobriè uiuit, Tit. 3.

Cur catholica? Quòd sit uniuersalis cœtus per totum mundum dispersus, non uni alicui loco alligatus, sicut inquit Augustinus, Psal. 21. Vbicunq; timetur Deus & laudatur, ibi est Ecclesia Christi.

Quid est communio sanctorum? Est

omnium

omnium bonorum inter omnes pios societas, & quasi communicatio. Nam in hac sancta communione, fides singulorum pro omnibus orat, charitas omnibus inseruit, & alter alterius portat onera, sicut Diuus Augustinus exponit.

Dic decimum articulum.

Credo remissionem peccatorum.

Quid est remissio? Est gratuita condonatio, quae fit ex misericordia, non ex debito, seu merito.

Quid est peccatum? Est uitium perpetuum inhaerens humanae naturae, ab Adam in omnes homines propagatum, omnium peccatorum radix, propter quod omnes homines rei sunt aeternae mortis, & quodlibet externum factum seu dictum contra legem Dei.

Quid est peccatorum remissio? Est gratuita omnium delictorum condonatio, per misericordiam propter filium Dei mediatorem nostrum, fide apprehensum, non propter merita nostra, seu legis impletionem, ne remissio peccatorum fiat incerta, ut Paulus ad Roma. 4. docet.

Dic undecimum Articulum.

Credo carnis resurrectionem.

Quid hoc loco significat carnis uocabulum? Corpora omnium hominum, eaque integra cum omnibus suis membris, quae in nouissimo

mo die omnia resurrectura sunt uiua, incorruptibilia, & immortalia, piorum quidem ad gloriam perpetuam, ut semper cum Christo uiuant, impiorum uerò ad ignominiam, ut absq; intermißione pœnas suæ impietatis cum Diabolis luant.

Quid est igitur carnis resurrectio? Est corporum omnium hominum in nouißimo die per uirtutem resurrectionis Christi, uiuificatio, ubi rursus anima & corpus uniuscuiusq; hominis, cōiungetur indissolubiliter.

Dic duodecimum Articulum.

Credo uitam æternam.

Quid est uita æterna? Est inenarrabilis & æterna lætitia, non humana, sed cœlestis, qua sine fine perfruentur electi cum Deo in cœlis post hanc uitam.

Vnde orietur hæc lætitia? Ex uera notitia Dei, & perfecta erga Deum obedientia.

Quid significat Amen? Firmum uel certum sit.

BREVIS VERBORVM AC PHRASIVM IN Oratione Dominica, per quæstiones, interpretatio.

Quæ est tertia pars Catechismi? Oratio Dominica.

Cur uocatur Oratio? Quia ea aliquid à Deo petimus.

Cur

Cur Dominica? *Quia Christus Dominus noster, eius autor est.*

Quomodo diuiditur? *In Procemiū & septē Petitiones.* Dic Procemium.

Pater noster, qui es in cœlis.

Cur Deum uocas patrem? *Quia paterno erga nos animo est affectus, & propter filium suum nos filios adoptauit, peccata nobis remittit, & preces nostras exaudit.*

Cur nostrum patrem? *Quia omnes, qui in Christum credimus, eius sumus filij, per fidem, & ipsi inter nos fratres.*

Cur addis, qui es in cœlis? *Quia nos semper & ubiq; respicit.*

Quid est Deū esse in cœlis? *Est ubiq; eum esse præsentē, et adesse nobis, et satis magnā habere facultatē dandi nobis ea, quæ ab ipso petimus.*

Dic primam Petitionem.

Sanctificetur nomen tuum.

Quid est Sanctificare nomē Dei? *Est illud celebrari et innotescere inter homines per prædicationē Euangelij, et sanctos uitæ hominū mores.*

Quid est nomen Dei? *Est eius notitia, maiestas, potentia æterna, bonitas, clementia, misericordia, & φιλανθρωπία erga homines.*

Quid sanctificari? *Est sanctum haberi, hoc est, innotescere, celebrari & agnosci.*

Quomodo sanctificatur nomen Dei? Cū

Euangelium Christi rectè docetur, Deus uerè agnoscitur, inuocatur & colitur, atq; piè uiuitur ubiq;.

Dic secundam petitionem.

Adueniat regnum tuum.

Quid est aduenire regnum Dei? Est augescere credentium Euangelio numerum, seu Ecclesiam, & aduenire regnum gloriæ, in quo post hanc uitam consuetudine Dei semper perfruamur.

Quid est regnum Dei? Est primò Ecclesia seu cœtus piorum in hac terra, quod regnũ gratiæ dicitur. Secundò, est hæreditas regni æterni post hanc uitam, quod regnũ gloriæ uocatur.

Quomodo aduenit regnum Dei? Cũ regit ac gubernat nos Deus uerbo ac spiritu suo, ut inchoëtur hic in nobis regnum gratiæ eius, ut hæreditatem tandem regni gloriæ, post hanc uitam consequamur.

Dic tertiam petitionem.

Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra.

Quæ est uoluntas Dei? Vt credamus in nomine filij ipsius Iesu Christi, mandatisq; eius obtemperemus, & uitam æternam credentes per filium reconciliatorem consequamur.

Quomodo fit uoluntas Dei in terra? Cùm homines uerbo Dei uerè credunt, obediuntq; legi

dei ipsius, & suæ quisq; uocationis officia diligenter facit.

Cur additur: tua? Vt discernatur uoluntas Dei bona & sancta à uoluntate carnis nostræ mundi, & Diaboli, quæ peruersa ac mala est.

Cur additur: quemadmodum & in cœlis? Vt intelligatur requiri à nobis, ut perfectè uoluntatem nostram diuinæ subijciamus, in omnibus, ad exemplum Angelorum, qui Deo perfectißimè obediunt in cœlis.

Dic quartam petitionem.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Quid significat panis? Omnia, quæ huic uitæ piè & commodè transigendæ sunt necessaria, ut sunt, pax, defensio, liberalis puerorū institutio, uictus, bona ualetudo, boni mores, obedientes liberi, successus in rebus agendis, & his similia.

Cur additur: quotidianus? Vt admoneamur modestiæ im petendo, eaq; tantum petamus, quibus in singulos dies opus est, nihil soliciti de die crastino, ac uictu parando longi temporis.

Cur additur: nostrum? Quia debetur nobis uictus mediocris. Nam Deus eum nobis promisit, & uitam sine eo traducere non possumus.

Cur additur: hodie? Vt semper det nobis Deus, quibus nobis opus est. Nam hodie hic

tempus totius nostræ uitæ, & quemlibet eius diem significat.

Quid est petere panem quotidianum? *Omnia huius uitæ subsidia, publica & priuata.*

Dic quintam Petitionem.

Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Quid significat remittere? *Est ex gratia seu misericordia cõdonare & ignoscere.*

Quid debita nostra? *Peccata, quibus Deum offendimus.*

Quid est Deum remittere nobis debita? *Est Deum delicta nobis condonare misericordia, propter filium suum, sine nostris meritis, sicut docet parabola Matthæi 18. de debitore, qui soluendo non erat.*

Quis debitor noster? *Proximus noster, seu quilibet homo, qui nos offendit aliqua in re.*

Quid debita proximi? *Offensiones seu errores eius, quibus ignoscere debemus, sicut Christus condonauit nobis peccata nostra. Coloss. 3.*

Dic sextam Petitionem.

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid est tentatio? *Est malitiosa sollicitatio, uel carnis nostræ, uel mundi, uel Diaboli, ad peccandum, seu faciendum ea, quæ Deus prohibuit.*

Quid

Quid est Deum nos inducere in tentationem? *Est uel permittere, ut inducamur in tentationem, in qua desperemus, uel non defendere nos contra insidias Diaboli, ne ad impietatem aut alia scelera pertrahamur.*

Dic septimam petitionem.
Sed libera nos à malo.

Quid est liberare? *Est quasi oppressum seu ligatum uinculis soluere.*

Quid malum? *Omnes calamitates seu ærumnæ huius uitæ, ut sunt peccatum, mors, impietas, Diabolus, & regnum eius.*

Quid est liberare à malo? *Est eripere nos ex omnibus miserijs præsentis uitæ, & donare nobis uitam æternam.*

Quid dicitur hic regnum Dei? *Est eius dominium, & omnium rerum gubernatio.*

Quid potentia? *Omnia quæ uult Deus efficiendi facultas.*

Quid gloria? *Maiestatis ac laudis eius celebratio, cum esse omnipotentem, bonum, iustũ, & misericordem.*

IN QVARTAM
Partem Catechismi.

Quæ est quarta pars Catechismi?

Doctrina de Pœnitentia, Confeßione, & Absolutione.

Dic mandatum Christi, de agẽda pœnitentia? Marci primo: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio.

De Pœnitentia.

Quid est agere pœnitentiam? Est corruptionem humanæ naturæ agnoscere, & commissa peccata aduersus legem Dei fugere & detestari.

Quid credere Euangelio? Est credere in Christum, qui in Euangelio nobis proponitur, uel est credere promißioni Dei, quòd peccata propter suum filium Deus remittat nobis, & per fidem sit nobis propitius.

De Confeßione.

Dic locum Psalmi 31. de confeßione, quæ fit coram deo? Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

Quid est dixi? Animo statui, siue proposui.

Quid confiteri? Agnoscere & sentire.

Quid aduersum me? Contra carnis meæ uoluntatem, quæ peccatum naturaliter tegere cupit & occultare.

Quid iniustitia? Deprauatio mentis seu uoluntatis humanæ, qua impiè agimus, & iniustè, hoc est, legi Dei non uerè obedimus.

Quid remittere impietatem peccati? Est condonare naturalem inclinationem seu de-

prauationem

prauationẽ corruptæ naturæ, ex qua omnia peccata, tanquam ex fonte, ſcaturiunt.

Quid confiteri aduerſum ſe iniuſtitiā ſuam Domino? Eſt agnoſcere ſe coram Domino eſſe reum æternæ damnationis, propter peccatum.

Quid eſt remittere impietatem? Eſt eam ex gratia condonare ſine dignitate operum, gratis propter fidem in Chriſtum.

Dic locum Iacobi 5. de confeſſione, quæ fit coram proximo? Confitemini inuicem alius alij delicta.

Quid eſt confiteri? Agnoſcere errorẽ, & condonationem eius alium ab alio poſcere.

Quid delicta? Errores ſiue offenſiones, quibus alius ab alio læſus eſt.

Dic locum Matthæi 11. Cùm ſteteritis ad orationem, remittite, ſi quid habetis aduerſus aliquem.

Quid eſt ſtare ad orationem? Eſt uelle aliquid à Deo petere, ſeu inuocare Deum pro cõdonandis peccatis, aut alijs bonis impetrandis.

Quid eſt habere aliquid aduerſum aliquem? Eſt læſum eſſe ab alio, dicto aut facto.

Dic locum abſolutionis Matthæi 18. Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Et quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. De Abſolutione.

Quid est alligare? *Est retinere peccata impœnitentibus & sceleratis.*

Quid soluere peccata? *Est remittere peccata pœnitentibus & credentibus in Christum.*

Quid peccata esse ligata in cœlo? *Est ea non remitti à Deo in cœlo.*

Quid soluta esse peccata in cœlo? *Est Remitti seu condonari ea à Deo in cœlo.*

IN QVINTAM PARtem Catechismi.

Quæ est quinta pars Catechismi? *Doctrina de Sacramento Baptismi, & Sacramento Altaris, siue cœna Domini.*

De Baptismo.

Dic uerba promissionis de Baptismo? *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Marci ultimo.*

Quid significat, Qui? *Omnem, siue quemlibet hominem, einen jeden/ Quia euangelium siue promissio uitæ æternæ est uniuersalis, pertinens non ad paucos aliquos, sed ad omnes homines, quicunque credunt in Christum, & Deum inuocant per filium eius. Vt Paulus ad Roma. 10. inquit: Deus est idem omnibus, diues in omnes inuocantes se.*

Quid est credere? *Est prædicationi Euangelij*

gelij de reconciliatione Dei per filium ipsius Christum fidem habere, & omnem fiduciam suam in Deum per Christum collocare.

Quid est baptizari? Est *aqua intingi seu immergi in signum seu fœdus adoptionis filiorum Dei, reconciliationis, & hæreditatis uitæ æternæ consequendæ propter Christum.*

Dic uerba mandati seu commissionis de Baptismo exhibendo.

Euntes in uniuersum mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.
Matthæi ultimo.

Quid est ire in uniuersum mundum? *Est petere omnes regiones, regna, ciuitates, pagos, uillas, & quæcunque loca totius orbis terrarũ, gratia prædicandi Euangelij, ut palàm fiat, ad omnes homines pertinere beneficia filij Dei.*

Quid docere? Est *proponere hominibus doctrinam Euangelij, de reconciliatione humani generis per filiũ Dei, per quem se Deus patefecerit mundo, & daturus sit omnibus uitam æternam, qui in filium Dei crediderint.*

Quid est docere omnes gentes? Est *omnibus hominibus tradere doctrinã Euangelij, et ad agnitionẽ Dei uocare quoscunque sine discrimine, Iudæos & Gentes, sicut Paulus inquit: Euangeliũ* Roma. 1.

est potentia Dei, ad salutē omni credenti, Iudæo simul & Græco.

Quid est Baptizare homines? Est aqua immergere omnes, qui credituri sunt Euangelio, ad fidei ipsorum confirmationem, de adoptione filiorum Dei, & reconciliatione & uita æterna consequenda per Christum.

Quid est baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Est baptizari iussu & autoritate Dei, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita, ut Baptismus Apostolorum, & omnium ministrorum Ecclesiæ Dei, tam certus sit & efficax, ac si Deus ipse uisibilis baptizaret homines, & hoc signū gratiæ eis impertiret.

DE SACRAMENTO
Altaris, siue cœna Domini.

Mat. 26. Recita uerba Sacramenti Altaris, si-
Lucæ 22. ue cœnæ Domini? Dominus noster Iesus
Mar. 14. Christus, in ea nocte, qua traditus est, accepit pa-
1. Cor. 11. nem, & postquam gratias egisset, fregit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, hoc facite in mei commemorationem. Similiter, & postquam cœnauit, accepto calice, cùm gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine, qui pro uobis et multis effunditur in remißionem peccatorum.

Hoc

Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem.

Quid est, gratias Deo agere? Est beneficia Dei agnoscere esse gratuita & indignis collata, & pro ijs celebrare Dei bonitatem, & beneficentiam apud alios.

Quid est CHRISTUM dare discipulis corpus & sanguinem suum? Est omnia quæ CHRISTUS morte sua & sanguine effuso meruit, absq; ipsorum meritis, conferre per fidem omnibus, qui in ipsum credunt.

Qui sunt discipuli Christi? Quicunq; baptizati, doctrinam seu Euangelium Christi ex animo amplectuntur, & diligunt se mutuò, sicut Christus dicit Ioan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et cap. 13. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si charitatem inter uos habueritis mutuam.

Quid est accipere et comedere corpus Domini? Est statuere corpus Christi oblatum esse Deo patri, uictimam pro peccatis nostris.

Quid accipere & bibere sanguinem Christi? Est statuere nos per sanguinem Christi ablutos esse ab omni peccato, Sicut inquit Ioannes priore cap. 1. Sanguis Christi emundat nos ab omni iniquitate.

Quid est corpus Domini pro nobis esse datum? Est Christum pro nobis esse

passum, eiusq; beneficia ad nos pertinere, & nos eius esse membra, in quibus sit efficax.

Quid est sanguinem Domini pro nobis esse effusum? Est nos eius sanguine esse ablutos & emundatos ab omni peccato.

Quid est comedere corpus Domini ad eius commemorationem? Est reuocare in memoriam, cum gratitudine animi, corpus Christi pro nostris peccatis uictimā esse oblatam in cruce, propter quam Deus nobis placatus sit.

Quid bibere sanguinem Christi, ad eius commemorationem? Est reuocare in mentem, sanguinem Christi effusum esse, in remißionem peccatorum nostrorum, ut ipse Christus inquit.

Cur dicit, bibite omnes? Vt hac cœna omnes pariter integra utamur, quemadmodum Christus instituit, nec solum corpus Domini edamus, sed bibamus etiā eius sanguinem. Quia Christus sicut antè singulis sua manu porrexerat Sacramenti partem, hoc est, corpus sub pane, ita pòst tradit calicem, ut ex eo itidem bibant omnes, excepto nemine. Et ita tradidit Paulus Ecclesiæ Corinthiorum, 1. Corinth. 11.

Quid significat hoc loco calix? Sanguinem Christi, qui calice seu poculo continetur, per Metonymiam figuram.

Cur

Cur cœna Domini uocatur testamentum? Quia Christus conditor huius testamenti in ea legat ac donat nobis per mortem suam cœlestia et æterna bona, remißionem peccatorum, reconciliationem cum patre suo, iustitiam, & uitam æternam.

Cur uocat nouum testamentum? Ut discernat illud à ueteri, in quo sanguis hircorum, taurorum, & uitulorum sacrificabatur, qui peccatum non tollebat coram Deo, sed sanguinem Christi significabat, quo uerè à peccatorũ sordibus abluimur, ut Epistola ad Hebræos testatur, Hebr. 9. & 10. Et Ioannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, hoc est, uictima, siue hostia, propter quam Deus placatus est nobis. Ioan. 1.

Quid monet nos particula, Quotiescunq;? Ne semel tantum in uita, aut infrequenter, sed potius sæpe ac multoties utamur hac sacrosancta & salutari cœna, ad confirmandam fidem nostram, de remißione peccatorum, reconciliatione, & uita æterna consequenda fide gratis per mortem filij Dei reconciliatoris.

EXEGESIS VERBORUM ac Phrasium Catechismi FINIS.

PRAECIPVAE ET INSIGNIORES SENTENTIAE,
ex Euangelijs & Epistolis totius anni, tum dominicis, tum festis, in usum puerorum delectæ.

Prima dominica in Aduentu.

Ecce rex tuus uenit tibi mãsuetus, iustus & pauper. Matt. 21. Doctrina: Christus propter nos pauper factus est, cùm esset diues, ut nos illius paupertate ditesceremus. 2. Corinth. 8.

Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus. Induamur Dominum nostrum Iesum Christũ. Ro. 13.

Dominica secunda.

Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea nõ transibunt. Lucæ 21.

Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinã præscripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.

Christus assumpsit nos in gloriam patris. Ro. 3.

Dominica tertia.

Pauperes lætum accipiunt Euangelij nuncium.

Beatus est quisquis non fuerit offensus in me. Matthæi 11.

Nullius rei mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus. 1. Corinth. 4.

Dominica quarta.

Ego sum uox clamantis in deserto, parate uiam Domini. Ioan. 1.

Dominus propè est inuocantibus ipsum.
Pax Dei superat omnem intellectũ. Philip. 4.

In prima missa natalis Domini.

Natus est nobis hodie seruator, qui est Christus *Dominus, in ciuitate* Dauid. *Lucæ* 2.
Apparuit gratia Dei *salutifera omnibus hominibus.*
Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate. ad Titum 2.

In secunda Missa.

Maria conseruabat omnia uerba, conferens in corde suo. Lucæ 2.
Non ex operibus, quæ sunt iniustitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam, saluos nos fecit Deus.
Iustificati Dei gratia *hæredes efficimur, iuxta spem uitæ æternæ.* ad Titum 3.

In summa Missa.

Qui credunt in nomine Iesu Christi, *hi sunt filij* Dei.
Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.
Qui ex Deo *nati sunt, hi sunt filij* Dei, Ioan. 1.
Christus est hæres omnium.
Christus moderatur omnia uerbo potentiæ suæ.
Christus per se ipsum purgationem fecit peccatorum nostrorum. Hebræ. 1.

Dominica post natalem Domini.

Christus positus est in ruinam & resurrectionem multorum

multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur. Lucæ 2.

Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui erant legi obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus.

Sumus hæredes Dei per Christum. Gala. 4.

In Circuncisione Domini.

Vocatum est nomen pueri, Iesus.

De nomine Iesu.

Iesus significat seruatorem, unde Matthæi 1. Vocabis nomen eius Iesus, quia is saluum faciet populum suum à peccatis ipsorum. & Acto. 4. Nullum est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quàm Iesus Christus Nazarenus.

Lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificemur. Omnes filij Dei sunt, qui credit in Christum Iesum. Quicunq; baptizati sunt, Christum induerunt. Omnes unum sumus in Christo Iesu. Gala. 3.

Dominica post Circuncisionem Domini.

Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri. Matthæi 2.

Pij sunt, in quorum ore non inuentus est dolus.

Sim

Sine macula enim sunt ante thronum Dei. Apoca. 14.

Sine dolo sunt, qui seriò pœnitentiam agunt. Sine macula sunt, quorum peccata sunt abluta sanguine Christi, qui uerè est agnus immaculatus, tollens peccata mundi. Ioan. 1.

In Epiphania Domini.

Vbi est ille, qui natus est rex Iudæorum? Matt. 2.

Christus gentibus se manifestat, quia etiam ad gentes beneficia Christi pertinent.

Surge, illuminare Hierusalē, quia uenit lux tua, & gloria Domini super te orta est. Esaiæ 60.

Lumen est Euangelium de Christo, qui est lux uera illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum. Ioan. 1. Gloria Domini sunt res æternæ, remißio peccatorum, imputatio iustitiæ, & uita eterna, per quæ gloriamur contra peccatum, mortem & diabolum.

Hierusalem ecclesiam Dei significat.

Dominica post Epiphaniam.

Puer Iesus subditus fuit parentibus suis.

Puer Iesus proficiebat sapientia, & ætate, et gratia apud Deum & homines. Lucæ 2.

Ne accommodetis uos ad figuram huius seculi.

Ne quis arroganter de se sentiat.

Multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra. Roma. 12.

Dominica secunda.

Quod

Quod dixerit uobis, hoc facite, Ioan. 2.
In neceßitate ad solum Deum confugiendum est.
Nullus respectus personarum est apud Deum.
Deus nos exaudit per Christum.
Quod deus iubet, hoc solum faciendum est.
Sitis odio persequentes quod malum est, adhærentes ei, quod bonum est. Honore alius alium præuenite. Bene loquamini, & ne male precemini. Roma. 12.

Dominica tertia.

Domine, si uelis, potes me mundare. Volo, mundus esto.
Quemadmodum credis fiat tibi. Matth. 8.
Ne sitis arrogantes apud uosmetipsos.
Ne cuiquam malum pro malo reddatis.
In pace cum omnibus, quantũ in uobis est, uiuite.
Ne uosmetipsos ulciscimini. Roma. 12.

Dominica quarta.

Domine, serua nos, perimus. Qualis est hic? quia uenti quoq; & mare obediunt illi. Matt. 8.
Qui diligit alterum, legem impleuit. Roma 13.
Dilectio proximo malum non operatur. ibid.
Consummatio legis est dilectio. ibid.

Dominica quinta.

Sinite pariter crescere & triticum & zizania usq; ad messem. Matth. 13.
In Ecclesia Christi bonis mali admixti sunt. Et pij plerunq; latent, & dominantur impij.

Sufferte

Sufferte nos inuicem, condonate uobis inuicem, quemadmodum & Christus condonauit uobis. Coloss. 3.

Dominica Septuagesima.

Nouißimi erunt primi, & primi nouißimi.
Multi sunt uocati, pauci uerò electi.
Vocantur qui audiunt Euangelium.
Electi sunt, qui Euangelio credunt.
Subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo. 1. Corinth. 9.

Dominica Sexagesima.

Qui habet aures ad audiendum, audiat. Semen est uerbum Dei. Lucæ 8.
Virtus Dei per infirmitatem perficitur. 1. Cor. 12.

Dominica Quinquagesima.

Iesu fili David miserere mei.
Fides tua te saluum fecit. Lucæ 18.
Charitas patiens est, Charitas benigna est, Charitas non quærit quæ sua sunt, Charitas non cogitat malum, Charitas omnia suffert. 1. Corinth. 13.

Dominica Inuocauit.

Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod egreditur per os Dei. Non tentabis Dominum Deum tuũ. Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Matth. 4.
Nunc tempus acceptum est, nunc dies salutis sunt.

In omnibus commendemus nos ipsos, ut ministri Dei. 2. Corinth. 6.

Christiani { morientes uiuunt. dolentes gaudent. nihil habētes, omnia poßidēt.

Dominica Reminiſcere.

Miſerere mei Domine, fili Dauid.
Domine ſuccurre mihi.
O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut uis. Matthæi 15.
Sciat unuſquiſq; ſuum uas poßidere cum ſanctificatione & honore. Non uocauit nos Deus immunditiæ cauſa, ſed ad ſanctificationem. Ne quis opprimat, aut fraudet in negotio fratrem ſuum. 1. Theſſa. 4.

Dominica Oculi.

Omne regnum aduerſus ſeipſum diuiſum, deſolabitur.
Beati, qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Lucæ 11.
Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis.
Scortatio, et omnis immunditia et auaritia, ne nominetur quidem inter Chriſtianos. Eph. 5.

Dominica Lætare.

Colligite, quæ ſuperſunt, ne quid pereat.
Chriſtus eſt uerus ille propheta, qui uenturus erat in mundum. Ioan. 6.

Qui

Qui secundum carnem nati sunt, persequuntur eos, qui nati sunt secundum spiritum. Gala. 4.

Dominica Iudica.

Qui ex Deo est, uerbum Dei audit.
Amen, amen, dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Ioan. 8.
Misit Deus spiritum filij sui in corda uestra clamantem, Abba pater. Galat. 4.

Dominica Palmarum.

Benedictus qui uenit in nomine Domini. Domus mea domus orationis uocabitur. Mat. 21.
Sanguis Christi emundat conscientiam nostram ab operibus mortis, ad seruiendum Deo uiuenti.
Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æternam redemptionem inueniens. Hebræ. 9.

De passione Christi.

Christus languores nostros tulit. Esaiæ 53.
Christus dolores nostros sustinuit. ibid.
Christus propter nostra peccata uulneratus est. ibid.
Christus pœnam sustinet, ut nobis sit pax. ibid.
Vulneribus Christi sanati sumus. ibid.
Christus est hostia pro peccato nostro. ibid.
Commendat suam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus

pro nobis mortuus est. Reconciliati sumus Deo *per mortem filij ipsius.* Roma.5.

Christus, cum esset in forma Dei, *non rapinam arbitratus, sed semetipsum exinaniuit, formã serui suscipiens, in similitudinem hominis factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* Philip.2.

In die Paschæ.

Nolite expauescere, Iesum quæritis N*azarenum, surrexit, non est hic.* Marci 16.

Pascha nostrum pro nobis *immolatus est* Christus. 1.Corinth.5.

Feria secunda.

Oportuit Christum *pati, & ita intrare in gloriã suam.* Lucæ 24.

Christus delectatur pijs colloquijs.

Si cum Christo *patimur, unà etiam cum illo glorificabimur.* Roma. 8.

Non est respectus personarum apud Deum.

Quisquis timet Deum, *& operatur iustitiam, acceptus est illi.*

Christus constitutus est à Deo *iudex uiuorum & mortuorum.*

Christo omnes Prophetæ *testimonium perhibent, quòd remißionem peccatorum accipiant per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Acto, 10.

Feria tertia.

Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Lucæ 24.

Deus pater suscitauit Christum à mortuis. Nobis resuscitatus est Christus. Acto. 13.

De resurrectione Christi.

Christus ex afflictione & damnatione ereptus est. Esaiæ 53.

Christus traditus est propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Roma. 4.

Christus excitatus est à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Ro. 6.

Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut mortuis & uiuentibus dominaretur. Roma. 14.

Dominica prima post Pascha.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

Hæc est uictoria, quæ uincit mundũ, fides nostra.

Beati, qui non uiderunt & crediderunt. Ioan. 20.

Qui credit quòd I sus est filius Dei, is uincit mundum. 1. Ioan. 5.

Dominica secunda.

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, &

cognoſcor à meis. Animam meam pono pro ouibus. Ioan. 10.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur ueſtigia eius. 1. Pet. 2.

Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiuamus. ibid.

Chriſti uibice ſanati ſumus. ibid.

Chriſtus eſt paſtor, & curator animarum noſtrarum. ibid.

Dominica tertia.

Plorabitis & flebitis uos, mundus autē gaudebit. Triſtitia ueſtra uertetur in gaudium, & gaudiū ueſtrum nemo tollet à uobis. Ioan. 16.

Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum.

Serui ſubditi eſtote dominis, in timore, non tantùm bonis & honeſtis, ſed etiam iniquis. 1. Pet. 2.

Dominica quarta.

Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, iuſtitia, & iudicio. Spiritus ſanctus ducet uos in omnem ueritatem. Ioan. 16.

Omnis donatio bona supernè eſt deſcendens à patre luminum.

Verbum Dei ſaluat animas noſtras. Iaco. 1.

Dominica quinta.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. petite & accipietis. Ioan. 16.

Eſtote

Estote factores uerbi, & non auditores tantùm. Iaco. 1.

In ascensione Domini.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uerò nõ crediderit, condemnabitur. Mar. 16.
Iesus quemadmodum assumptus est in cœlum sic ueniet. Actorum 1.

Dominica Exaudi.

Venit tempus, ut quisquis interficiet uos, uideatur cultum præstare Deo. Ioan. 15.
Sitis sobrij & uigilantes ad orandum.
In omnibus glorificetur Deus *per Iesum* Christũ.
Vt quisque accepit donum, ita, alius in alium, illud ministret. 1. Petri. 4.

In die Pentecostes.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Ioan. 14.
Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Acto. 2.

Feria secunda.

Sic Deus *dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.* Non *misit* Deus *filium suum in mundum, ut condemnet mundũ, sed ut seruetur mundus per eum.* Qui *credit in filium* Dei, *non condemnatur.* Qui *non credit in filium* Dei, *iam condemnatus est.* Ioan. 3.
Christus constitutus est à Deo *iudex uiuorum, & mortuorum.* Actorum 10.

Christo omnes prophetæ testimonium perhibent, quòd remißionem peccatorum accipiant per nomen eius omnes, qui credunt in eum. ibid.

Feria tertia.

Christus uenit in mundũ, ut uitam habeamus per ipsum. Ioan. 10.

Imponebant manus super illos, accipiebantq; spiritum sanctum. Acto. 8.

Dominica Trinitatis.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam æternam. Ioan. 3.

Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Roma. 11.

De Trinitate.

Vnus est Deus uerus, æternus, omnipotens, creator, conseruator omnium rerum.

Tres sunt personæ in Deitate eiusdem essentiæ, potentiæ, et coæternæ, Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus.

Deus pater est ingenitus, Deus filius increatus, sed

sed genitus, Deus Spiritus sanctus à patre & filio procedit.
Deus pater creauit nos.
Deus filius, factus homo, redemit nos.
Deus Spiritus sanctus, sanctificat nos.

Dominica prima post Trinitatis.

Fili recordare, quòd recepisti bona tua in uita tua, & hic Lazarus similiter mala. Nunc autem hic solatio fruitur, tu uerò cruciaris. Lucæ 16.
Per hoc apparuit charitas Dei, quòd filiũ suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum.
Deus dilexit nos, & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris.
Si Deus dilexit nos, debemus & nos mutuò diligere.
Qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.
1. Ioan. 4.

Dominica secunda.

Venite, quia parata sunt omnia. Lucæ 14.
Qui non diligit fratrem, manet in morte.
Qui odit fratrem, homicida est. Christus animam suam pro nobis posuit. Ne diligamus uerbo, neque lingua, sed opere, & ueritate.
1. Ioan. 3.

Dominica tertia.

Christus peccatores recipit, ac cibum capit cum illis.

Gaudium est coram angelis Dei, super uno peccatore resipiscente. Lucæ 15.

Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam.

Omnis cura nostra in Deum conijcienda est.

Deo cura est de nobis.

Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret, cui resistendum est in fide. 1. Pet. 5.

Dominica quarta.

Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est.

Nolite iudicare, & non iudicabimini.

Remittite, & remittetur uobis.

Date, & dabitur uobis. Lucæ 6.

Non sunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Roma. 8.

Dominica quinta.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete. Lucæ 5.

Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorũ. Vultus Domini super facientes mala.

Patientes propter iustitiam, beati sunt. 1. Pet. 3.

Dominica sexta.

Nisi abundauerit iustitia uestra plus, quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5.

Quicunq;

Quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus. Quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis, per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si mortui sumus in Christo, credimus quòd et uiuemus cum illo. Roma. 6.

Dominica septima.

Misereor super turbam, quia iam triduo manent apud me, nec habent, quod edant. Marci 8.
Stipendium peccati mors est. Gratia Dei, uita æterna, per Iesum Christum Dominum nostrũ. Roma. 6.

Dominica octaua.

Cauete uobis à falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus sunt lupi rapaces. Non potest arbor mala bonos fructus facere, neq; arbor bona malos fructus facere. Matth. 7.
Quicunq; spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Spiritus Dei testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Roma. 8.

Dominica nona.

Filij huius seculi, prudentiores sunt filijs lucis, in natione sua. Facite uobis amicos ex mammona iniusto. Lucæ 16.
Qui se existimat stare, uideat ne cadat. Fidelis est Deus, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, 1. Corinth. 10.

Dominica decima.

Domus mea, domus orationis est, uos autem fecistis illam speluncam latronum, Lucæ 9.

Nemo potest dicere Dominum Iesum, *nisi per spiritum sanctum.*

Deus operatur omnia in nobis, 1. Corinth. 12.

Dominica undecima.

Deus propitius esto mihi peccatori. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur, Lucæ 18.

Christus mortuus est pro peccatis nostris secundũ scripturas, & sepultus est, & resurrexit tertia die, secundum scripturas. 1. Cor. 15.

Dominica duodecima.

Bene omnia fecit Christus, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Marci 7.

Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo *est.* 2. Corinth. 3.

Dominica decimatertia.

Diliges Dominum Deum *tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis: & proximum tuum, sicut teipsum.* Lucæ 10.

Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promißio ex fide Iesu *Christi daretur credentibus.* Gala. 3.

Dominica decimaquarta.

Surge,

Surge, uade, quia fides tua te saluū fecit. Lu. 17.
Caro concupiscit aduersus spiritū. Spiritus concupiscit aduersus carnem. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum affectibus, et concupiscentijs. Gala. 5.

Dominica decimaquinta.

Nemo potest duobus dominis seruire.
Nemo potest Deo seruire, & mammonæ.
Quærite primùm regnum Dei, et iustitiam eius, & omnia adijcientur uobis.
Nolite esse soliciti in crastinum. Matth. 6.
Si spiritu uiuimus, spiritu & ambulemus.
Alter alterius onera portate. Dum tempus habemus, operemur bonum. Gala. 6.

Dominica decimasexta.

Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus uisitauit plebem suam. Lucæ 7.
Christus habitat per fidem in cordibus nostris.
Charitas Christi erga nos captum nostrum superat.
Deus potens est cumulatè facere, abundantius quàm petimus aut intelligimus. Ephe. 3.

Dominica decimaseptima.

Omnis qui se extollit, deijcietur, & qui se deijcit, extolletur. Lucæ 14.
Vnus est Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, Ephe. 4.

Dominica

Dominica decimaoctaua.

In uera dilectione Dei *& proximi, tota lex, & omnes prophetæ pendent.* Matth. 22.

Gratia Dei *datur nobis per Christum* Iesum.

Christus Dominus *noster, confirmat nos usq; in finem.* 1. Corinth. 1.

Dominica decimanona.

Bono animo esto, remittuntur tibi peccata tua. Matthæi 9.

Loquatur ueritatem unusquisq; proximo suo.

Inuicem membra sumus.

Qui furabatur, amplius non furetur. Ephes. 4.

Dominica uigesima.

Multi sunt uocati, pauci uerò electi.

Scholion.

Vocamur audientes uerbum Dei.

Eligimur credentes in Christum.

Credentes in Christum electi sunt.

Deus pater elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenti mundi. Ephes. 1.

Nolite inebriari uino, in quo est luxus. Ephes. 5.

Cantandum & psallendum, in corde, Domino, ibid.

Gratiæ agendæ sunt Deo *in omnibus, per Christum. ibid.*

Dominica uigesimaprima.

Vade,

Vade, filius tuus uiuit, Christus suo uerbo saluat & uiuificat. Ioan. 4.

Induite armaturam Dei, ut poßitis stare aduersus insultus diaboli. Ephe. 6.

Dominica uigesimasecunda.

Si non remiseritis suo quisq; fratri, de cordibus uestris, delicta illorū, neq; pater meus cœlestis nobis remittet delicta uestra. Matt. 18.

Cognitio Euangelij est summum beneficium Dei, pro quo Deo agendæ sunt gratiæ. Deus incipit in nobis opus bonum, & ipsum perficit. Ephe. 6.

Crescere debent in nobis indies { Fides. Spes. Charitas. Cognitio Dei.

Nemini simus offendiculo.

Dominica uigesimatertia.

Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

Nostra conuersatio sit in cœlis, ex quo & seruatorem expectamus, Dominum Iesum Christum. Philip. 3.

Dominica uigesimaquarta.

Confide filia, fides tua saluam te fecit. Matt. 9.

Deus eripuit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit nos in regnum filij sibi dilecti. Coloss. 1.

Per Christum habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remißionem peccatorum. ibid.

Dominica

Dominica uigesima quinta.

Si quis dixerit uobis: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Matth. 24.

Si credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. 1. Thessa. 4.

Testimonium Dei patris de filio suo Iesu Christo.

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite. Matth. 3. & 17.

Sumus dilecti in dilecto. Ephe. 1.

Christus solus audiendus est.

Christus est doctor noster, nobis à Deo patre constitutus.

IN DIEBVS FESTIS Præcipuis.

In festo S. Andreæ.

Sequimini me, et faciam uos piscatores hominum. Matthæi 4.

Doctrinæ.

Non reuertitur uerbum Dei uacuum. Esa. 55.

Sermo Dei uiuus est & efficax. Heb. 4.

Quæ stulta sunt secundum mundum, elegit Deus. 1. Corinth. 1.

Corde creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem.

Omnis qui fidit Deo, non pudefiet. Roma. 10.

Quisquis

Quisquis innocauerit nomē Domini, saluus erit, ibid.

Non omnes obediunt Euangelio.

Fides est ex auditu, auditus per uerbum Dei. ibid.

In festo S. Thomæ.

Beati, qui non uiderunt & crediderunt. Ioan. 20.

Doctrina.

Fides est earum rerum, quæ sperantur, substātia, argumentum eorum, quæ non uidentur. Heb. 11.

Ratio Deo non credit, sine signis.

Fides apprehendit uerbum Dei, contra rationem.

Deus elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi. Deus adoptauit nos in filios per Iesum Christum. Deus pater diligit nos, propter dilectum suum filium. Ephe. 1.

In festo S. Stephani.

Hierusalē, Hierusalē, quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt. Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Matthæi 23.

Non poterant resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur in Stephano. Acto. 7.

Doctrinæ.

Non est potestas, aut consilium, aduersus Dominum.

Christus ostendit se nobis in afflictionibus.

Deo cura est de nobis. 1. Pet. 5.

Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Psalmo 115.

Beati qui in Domino moriuntur. Apoca. 14.

In festo S. Ioannis.

Si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? Tu me sequere.

Qui timet Deum, faciet bona. Ecclesi. 15.

In festo conuersionis Pauli.

Omnis qui reliquerit aliquid propter nomen Christi, centuplum accipiet in hac uita, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem.

Multi primi erunt nouissimi, & nouissimi primi. Matthæi 9.

Organum electum est mihi Paulus, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël. Acto. 9.

Doctrinæ.

Quod fit credētibus in Christum, ipsi fit Christo.

Deus

Deus suorum curam agit.
Deus suorum uicem ulciscitur.
Deus patiens est.
Deus omnes uocat ad pœnitentiam.

In festo purificationis Mariæ.

Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace. Lucæ 2.

Doctrinæ.

Credentibus in Christum, mori est lucrum. Philip. 1.
Siue morimur, siue uiuimus, Christi sumus. Roma. 14.
Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit uiam ante faciem tuam. Malach. 3.

In festo S. Matthiæ.

Nemo nouit filium, nisi pater, neq; patrem quisquam nouit, nisi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare.
Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Matthæi 11.
Deus nouit corda omnium. Acto. 1.
Deo nota sunt uniuersa. Ecclesi. 23.
Dominus corda probat. Prouerb. 17.

In festo Annunciationis Mariæ.

Ecce concipies in utero, & paries filium, & uoca

bis nomen eius Iesus. Is erit magnus, & filius altißimi uocabitur. Lucæ 1.

Regnum Christi est æternum.

Regni Christi non erit finis.

Non est impoßibile apud Deum omne uerbum. Lucæ 1.

Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Esai. 7.

In Festo Philippi & Iacobi.

Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per Christum. Quidquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciet, inquit Christus. Ioan. 14.

In nouißimo die stabunt iusti in magna constātia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Sapien. 5.

In Festo S. Ioannis Baptistæ.

Non surrexit maior inter natos mulierum, Ioanne Baptista. Matthæi 11.

Testimonia Ioannis Baptistæ de Christo. Ioan. 1.

De plenitudine Christi omnes accepimus, gratiam pro gratia. Lex per Mosen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo uidit unquam, Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Ecce agnus Dei, qui

qui tollit peccata mundi. Christus est filius.

In Festo Petri & Pauli.

Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Caro et sanguis non reuelauerunt tibi hæc.

Precatio fiebat sine intermißione ab Ecclesia ad Deum, pro Petro.

Doctrinæ de Cruce.

Crux est comes Euangelij.

Multæ tribulationes iustorum, & ex omnibus liberat eos Dominus. Psalmo 33.

Nouit Deus suos eripere è tentationibus. 2. Pet. 2.

In Festo Visitationis Mariæ.

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui.

Christus est semen illud benedictum, quod conteret caput serpentis, Gene. 3. & in quo benedicentur omnes gentes terræ. Gene. 22.

In festo Mariæ Magdalenæ.

Remittuntur peccata mulieri peccatrici multa, quoniam dilexit multum. Cui minus dimittitur, is minus diligit. Christus peccata remittit. Fides tua te saluam fecit, Vade in pace.

Christus uenit in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret. 1. Timoth. 1.

Deus peccata remittit gratis propter Christum.

Iusti sumus, cum Deus non imputat nobis peccatum. Psalmo 31.

Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines, ad condemnationem, ita per unius iustificationem propagatur bonum in omnes ad iustificationem uitæ. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores cõstituti fuimus multi, ita per obediẽtiam unius iusti constituentur multi. Roma. 5.

In festo Iacobi.

Sedere ad dexteram & sinistram Christi his contingit, quibus est paratum à Deo Patre.

His qui diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Deus etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cum eodẽ omnia nobis donauit. Deus est, qui iustificat. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Christus est ad dexteram Dei, & intercedit pro nobis. Roma. 8.

In festo S. Bartholomæi.

Qui maior est in uobis, fiat sicut minor.

Qui princeps est in uobis, fiat sicut is, qui ministrat. Lucæ 22.

Pij persecutionem patiuntur, sed non in ea deseruntur. 2. Corinth. 4.

In festo Matthæi Apostoli.

Non opus habent ij qui ualent, medico, sed qui malè habent.
Misericordiam uolo, non sacrificium.
Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores, ad pœnitentiam. Matth. 9.
Vnicuiq; nostrum data est gratia, iuxta mensuram donationis Christi. Ephe. 4.

In festo Michaëlis.

Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Matthæi 18.
Angeli puerorum, semper uident faciem Dei patris, qui in cœlis est.
Venit filius hominis seruare, quod perierat.

De Angelis bonis, Sententiæ.

Angeli boni, sunt spiritus creati ad ministerium eorum, qui sunt hæredes futuri. Heb. 9.
Angeli protegunt pios. 4. Reg. 6.
Angeli sunt custodes electorum. Matth. 18.
Angeli ministrant pijs. Matth. 4. Heb. 1.
Angeli amant gloriam Dei, & ueram doctrinã.
Angeli promouent pia studia.

Angeli reprimunt diabolum.
Angeli sunt custodes Ecclesiæ:
Angeli prohibent bella.
Angeli pios pueros in ludum comitantur, aßidet una, & reducunt domum.
Voluptatem capiunt ex aßiduitate discentium, pijs studijs, & sermonibus.
Studia puerorum angeli prædicant Deo & commendant.
Angeli delectantur pietate, & bonis moribus.

Hæc ferè ex Philippo Melanth. qui in quadam epistola sic scribit, ad quendam puerum:

Et quidem cùm in schola sedes, memento te non solùm inter æquales tuos sedere, sed unà uersantur purißimi Angeli, spectatores studiorum uestrorum, & custodes corporum. Sic enim inquit Christus Matthæi 18. Angeli eorum semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est. Hi uos comitantur in ludum, aßident unà, reducunt. Hoc sodalitium uereri te decet, quod quidem mirificam uoluptatem capit ex aßiduitate discentium, & pijs studijs, & moribus: & Deo prædicat uestra studia, Deo uos commendat. Quare cauebis, ne uel inertia tua, uel mali mores offendant, & abigant hos uigilantißimos custodes.

De malo angelo, de Diabolo.

Diabolus seducit totum terrarum orbem.

Diabolus calumniatur sanctos.

Sancti uincunt diabolum per sanguinem Agni, hoc est Christi. Apoca. 12.

Diabolus mendax est, & homicida. Ioan. 8.

Aduersarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circumit, quærens quem deuoret. 1. Pet. 5.

In festo S. Apostolorum Simonis & Iudæ.

Octo beatitudines. Matth. 5.

1 Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cœlorum.

2 Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

3 Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram.

4 Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

5 Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

6 Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

7 Beati pacifici, quoniam hi filij Dei uocabuntur.

8 Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum coelorum.

Deus resuscitabit nos ad uitam æternam, per Christum.
Virtute Dei custodimur per fidem, ad salutem.
Pij ad breue tempus nunc affliguntur, postea exultaturi gaudio ineffabili, tum cùm reuelabitur Iesus Christus.
Finis fidei nostræ est salus animarum.

In festo omnium Sanctorum.

Beati estis cùm probra iecerint in uos homines, et insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos mentientes propter me. Matthæi 5.
Salus ei, qui sedet super thronum Dei nostri & agni. Apoca. 7.

In dedicatione Templi.

Venit filius hominis, quærere et seruare, quod perierat. Lucæ 19.
Abstersurus est Deus omnem lachrymam ab oculis suorum, & mors ultra non erit. Apocalyp. 21.

DIALOGVS PIVS ET FESTIVVS, DE COLLOQVIO INTER DEVM (VT FERVNT) ET Euam, eiusq; liberos habito, descriptus ex Epistola Philippi Melanthonis, ad Ioannem à Vueida, in quo multa traduntur, quae ad puerilem κατήχησιν pertinent.

ARGVMENTVM DIALOGI ex eadem Epistola desumptum.

LOngo interuallo, post conditionem Adae & Euae, cùm primi parentes iam haberent familiam, uisum est DEO, semel prodire, ac se illis patefacere, ut in illa mundi solitudine, quotidianis conflictantes aerumnis, consolaretur. Fortè igitur è fenestra prospiciens Eua, uidit uenientem DEVM conditorem, cum comitatu Angelorum. Et quoniam postridie festus dies futurus erat, liberos coeperat lauare, adfuturos patris sacrificio & concioni. Cùm autem nondum omnes lauisset, & uereretur squalētes ac sordidos producere in conspectum DEI, iußit, ut se in foeno & straminibus occultarent, quae ad usum pecudum proximè congesta erant, caeteris comptis, mandat, ut stent ordine, expectantes DEVM in atrio, cúmque fuerit ingressus, & à matre salutatus, accedant

dant & ipsi, porrigant dextras, paululum flexo poplite, & dicta salutatione, postea taciti, suo quisq; loco, aliquo ordine consistant. Hæc cùm im perasset, ingreditur DEVS in atrium. Procedit obuiam pulcherrima mater, pudorem ac pauorẽ uultu significans, & uenientem DEVM, reueren ter excipit amplexu. DEVS comiter eam affatur, ac iubet bono animo esse, promittens gratiam & liberationem è malis, propter uenturum semen. Deinde interrogat de liberis, hi accedunt, &, ut iußi erant, porrigunt dextras, salutant, profitentur doctrinam parentum traditam, laudat DEVS sedulitatem discendi in ijs, qui propositam doctrinam pietatis probè tenuerunt, reliquos increpat. Deinde suum cuiq; aßignat munus, & discrimina graduum instituit, discedens, Angelorum custodiam & præsentiam, Euæ & eius posteris promittit. Hæc cùm locutus esset, tectus nube in cœlum redit.

DIALOGVS.

PERSONAE.

DEVS.	SETH.
EVA.	DELBORA.
ABEL.	CAIN.

Deus. Miseret me Adami & Euæ, quotidianis

tidianis conflictantium ærumnis, in mundi soli-
tudine. Nã uideo, quantis calamitatibus oppreßi
sint miserrimi illi duo homines. Hæret in ipsorũ
adhuc animo tristis recordatio sui miserandi la-
psus, quòd serpentis astutia circumuenti, præce-
ptum meum uiolârunt, atq; propter hanc suam in
obedientiam facti sunt rei mortis, & æternæ da-
mnationis & interitus, non solùm ipsi, sed tota
ipsorum posteritas. Hac acerbißima recordatio-
ne aßiduè cruciantur calamitosi parentes. Senti-
unt quoq; serpentis sæuitiam, & tyrannidem
in humanum genus, qui Cain aduersus Abelum in-
satiabili cõcitat odio, quod pro sua sapientia, qua
ceteris mortalibus præstant, prospiciunt in cru-
entam aliquam cædem esse erupturum. Nisi in his
ærumnis cœlesti uoce erigantur, necesse est eos
prorsus succumbere, & interire in hoc luctu.
Quare uisum est, iterum prodire, & me illis pate
facere, ac eos consolari, ne in tot calamitatibus a-
nimum despondeant, sed liberationem in his ma-
lis petant, & certò expectent à me, propter pro-
missum ipsis semen.

Eua. Hei mihi, uideo iterum aduenientem
Deum conditorem nostrum, cum Angelorum co-
mitatu, quàm timeo misera, ne peccatis nostris rur
sus offensus, nos totos perditum adueniat, sed spẽ
bonam concipio de eius misericordia erga nos,
propter semen mihi promissum. Hac fiducia ibo
obuiam

obuiam, ac salutabo. Tu interim fili Abel, & ceteri loti pueri, state hic ordine, expectantes Deum in atrio, cumq; est ingressus, & à me salutatus, accedite & ipsi, porrigite dextras, paulò sic flexo poplite, & dicta salutatione, taciti suo quisque loco & ordine consistite. Tu uero Cain, & alij illoti, hic in fœno & straminibus uos occultate, ne uos conditor DEVS tam squalentes & sordidos uideat. Maturate inquam, Deus iam atriū ingreditur, cauete uos conspiciat.

Deus. Pax tibi Eua, ne timeas, non uenio nunc ut antè, iratus uobis. Sum pater uester propitius, propter semen tibi atq; posteris tuis promissum, propter hoc uos exaudio, uestris malis afficior, atq; nunc me tibi patefacio, ut te in tuis ærumnis consoler.

Eua. At miserè timebam, Domine, cùm te procul aduenire conspicerem, ne aliquo graui delicto iterum maiestatem tuam offendissemus, atq; ob id prodires nunc, ut de nobis dignas pœnas sumeres. Neq; enim sum ignara, quàm tibi peccatum displiceat, propter quod iusto tuo iudicio ex Paradiso, cùm tuum mandatum uiolassemus, sumus expulsi in hanc solitudinem. Verum, quia tam clementer tum nos recepisti, propter semen promissum, & nunc etiam adeo me familiariter alloqueris, planè timere desino, atq; ago gratias

tue

tuæ bonitati, quòd nos miseros non dedignatus es inuisere.

Deus. Sis inquam bono animo, mea Eua, pro mitto me patrem miseris esse, & non defuturum ipsis, quibus & uitã, et mentem, imaginem diuinitatis meæ, impartiui. Sed ubi sunt liberi tui, parentes humani generis? ubi est Abel ille iustus?

Eua. En Domine, accedunt ordine te salutaturi.

Abel. Aue conditor Deus pater & salutaris noster.

Seth. Aue miserorum spes unica.

Delbora. Gratulor aduentui tuo, pater clementißime.

Deus. Grata est mihi, pueri, uestra salutatio, nam delectant me hæc pietatis & honestatis elementa, in illa ætate. Pergite itaq;, ut cœpistis, optimis rebus ac studijs uos exornare, parentum doctrinam discere, ac monitis ipsorum parêre, ut per uos nomen meum innotescat, & notitia promißi seminis ad posteros uestros propagetur.

Abel. Dabitur opera à nobis, optime pater.

Deus. Tuam uerò laudo, Eua, diligentiam, quòd non modò ornasti hos tuos liberos, lotione ac uestimentis, sed etiam ad morum elegantiam assuefacis. Sed hi gestus sunt elementa disciplinæ, Alia grauior doctrina accedere debet, ut sciant, se præcipuè nasci ad cognitionem Dei,

ad

ad conseruandam promißionem, uobis traditam, ad exercendam obedientiam erga Deum. Sunt etiam docendi de immortalitate, de præmijs pioru͂, de pœnis impiorum æternis post hanc uitam.

Eua. Sedulò hæc inculcantur ipsis ab utroque parente. Memini enim miserandi lapsus nostri, & quanta benignitate nos receperis, eoq; omni contentione adnitimur, ut soboles nostra sit in officio, ne grauius te offendamus. Prospicimus, quantæ pœnæ impēdeant posteritati nostræ, si te deseruerit. Hæc igitur præcipua nostra cura est, ut te conditorem ipsis monstremus, & doceamus eos, quæ officia requiras, & quam proposueris nobis spem salutis. Sed ipse uelim eos audias, ut, si quid non rectè didicerint, tua uoce emendētur.

Deus. Ita faciam. Age igitur, mi fili Abel, recita tu primo loco parentum dictata, & clarè ac præsenti animo pronuncia.

Abel. Credo unum esse Deum omnipotentem, sapientem, iustum, ac bonum, conditorem totius mundi, qui in hac rerum mole, admirandam uarietatem operum proposuit, certißimum ordinem cœlestium motuum, temporum uices, leges ac uires nascentium, ut hæc omnia testarentur: mundum non casu extitisse, sed ab aliqua æterna mente conditum esse. Nobis uerò hominibus mentē indidit, in qua, tanquā imagine, lucere diuinitatis

notitiam

notitiam uoluit. Addidit & intellectum, quæ offi tia requirat, quæ improbet, ut ipsi obediamus, addidit & mandatum parentibus, quò ostenderēt, se conditori suo libenter parêre, & debere obedientiam. Quòd si paruissent, sine peccato, sine morte uixisset humanum genus, & in hac uita fulsisset multò illustrior notitia Dei, arsisset in pectoribus nostris ingens amor Dei, et sine prauis cupiditatibus Deo fuissemus morigeri. Sed odio Dei, Diabolus, ut deformaret opus diuinū, circumuenit nostros parentes, & obiectis falsis opinionibus, caligenem mentibus eorum offudit, ne cogitarent, quantum Deo deberent, quantopere Deus requirat, ne à suo uerbo discedamus. Ita impulsos perdidit, quia uiolata lege, Deum offenderunt. Quare cùm omnia diuinitus condita bona essent, peccatum non à Deo, sed à Diaboli & hominum uoluntate ortum est. Hinc mors secuta est, & tyrannis Serpentis, qui aduersus genus humanum hostiliter grassatur, & omnibus calamitatibus homines opprimit. Sed tamen, ut essent in hoc mundo cultores et præcones Dei, noluit Deus prorsus perire genus humanum, ideo admiranda misericordia promisit Semen nostræ matri, propter quod uelit placatus esse generi humano, nos exaudire, & saluare, ac reddere nobis æternam uitam, lucē, sapientiam, & iustitiam, præcipuè uerò immanitas odij in Serpente, inflammabitur ad

uerſus hoc ſemẽ. Infiget ſerpens dentes eius calcaneo, et crudeliſsimo morſu lacerabit omnes ei addictos, Sed interea caput ſerpentis ab hoc ſemine conculcabitur . Viuet enim in hoc ſemine diuina natura, ideoq; mortem abolebit, & Tyrannum ſerpentem in horribiles cruciatus abijciet. Credo etiam ſacrificia, quæ à patre fieri uideo, figura eſſe ſacrificij, quod pro nobis illud ſemen offeret, ad placandum Deum. Sic enim Deus nobis fit propitius, ſi credimus, non propter noſtra ſacrificia, ſed propter illud ſemen nobis ignoſci, exaudiri et ſaluari. Et, quanquam in hac mortali uita, hærebunt peccatum, mors, & cæteræ calamitates, tamen inchoatur diuinitus noua lux & uita in his, qui hæc credent, qui quidem placent Deo, propter illud ſemen, ac incipiunt ei obedire, quod ueniet etiã, ut iudicet mundũ, reddat uitã perpetuã ijs, qui ipſi credent, & puniat æternis ſupplicijs Diabolum, & omnes, qui ſemen promiſſum contemnent. Ad hunc cultum, credo præcipuè uocatos eſſe omnes homines, ut hæc admiranda Dei opera & beneficia prædicent, ut Dei ira & miſericordia innoteſcant, ut Deus timeatur & glorificetur, & multi ſaluifiant. Nec deterreri homines ullis periculis debent, quò minus hunc cultum præſtent. Erit enim ſemper cœtus aliquis præconum Dei, etſi ſerpens & contemptores Dei, immanem ſæuitiam aduerſus eos exercebunt, uſq; ad iudicium,

ficium, in quo immortalis gloria piorum patefi-
et, qui, etsi erunt imbecilles, tamen in certamini-
bus suis, diuinitus adiuuabuntur, ac seruabuntur.
Hunc igitur Deum, conditorem nostrũ, qui pollice
tur nobis salutẽ, propter promissum semẽ, timeo,
inuoco, adoro, ab hoc peto, ut mihi propter se-
men promissum sit propitius, gubernet uerbo suo,
& defendat me aduersus Tyrannum serpentem,
inspirat mihi suam lucem, & pios affectus, ac cre-
do, me uerè propter promissum semen exaudiri
ac respici. Oro item, ut conseruet, et augeat inter
nos ueram notitiam iræ & misericordiæ suæ, ac
promissi seminis, nec sinat obrui ueros cultus astu
tia serpentis, ut regat meos mores, ne ipsum offen
dam, & ne mea exempla cæteris noceant. Et, quo
niam ipse uitam nobis impertit, &, ut alat nos, ter
ram facit fœcundam, rogo, ut suppeditet corpori
uictũ, et conseruet ualetudinem, seruet etiã paren
tes nostros, ne desint nobis doctores et gubernato
res, seruet ac regat meos fratres & sorores, ut
piè & fœliciter uiuant, et ornent gloriam ipsius.

Deus. Laudo tuam pietatem & dili-
gentiam discendi, mi Abel. Age Seth, recita &
tu parentum dictata.

Seth. Credo unũ esse Deũ omnipotentem, sapi
entẽ, iustũ ac bonum, conditorẽ totius mundi, qui
hoc admirandum cœli opificium pulcherrimis lu
minibus ornauit, certissimis motibus regit, ter-

ram omnis generis animantibus & frumentis fœcundam quotannis reddit, mare ac flumina piscibus, aërem auibus miræ uarietatis repleuit, ut per hæc omnia ipsum agnosceremus, & constaret, mundum non casu extitisse, aut ferri temere, sed ab æterna aliqua, & sapientißima mente conditum esse, gubernari & conseruari. Nos uerò homines ad sui imaginem creauit, mente & sermonis usu donauit, ut in his diuinitatis suæ uestigia conspicerentur. Nam uoluit Deus, nos suæ diuinitatis ac fœlicitatis esse participes. Ideo parẽtes nostros in paradiso collocauit, in quo dulcißima consuetudine, ac colloquio Dei fruerentur. Verùm hanc fœlicitatem homini Diabolus inuidens, decepit parentes nostros sua astutia, persuadens ipsis, ut de uetito pomo ederent, quod cũ facerent, miseri parentes Deum conditorem grauiter offenderunt, & hac sua inobedientia, coniecti sunt cum posteris in peccatum, mortem & Tyrannidem Serpentis, è quibus malis sese liberare & eripere nullis modis potuerunt. Quare Deus, misertus humani generis, promisit matri nostræ semen, quod serpentis caput conterat, regnum eius deuastet, mortem aboleat, uitam & iustitiam æternam nobis reddat. Nam erit hoc semen uerus Deus, ideo sua diuina potentia & uirtute peccatum, mortem & Tyrannum Serpentem uincet. Nã cùm sit & uerus homo, offeret se hostiã Deo

patri

patri pro peccatis nostris. Huius sacrificij signa sunt sacrificia, quae pater Deo offert, non quòd propter haec Deus fiat nobis propitius, exaudiat nos, & peccata remittat. Haec enim, sola eius misericordia credo nobis contingere à Deo, propter promissum semen, nec aliud à nobis requirere Deum, pro hac sua gratuita bonitate & misericordia, nisi ut ipsi obediamus, ipsum uenereamur, colamus & inuocemus. Nos uerò homines mutuis in hac uita officijs deuinciamus, ut Deus inter nos innotescat, & celebretur à nobis, atq; tandem aeternae uitae participes cum ipso reddamur.

Deus. Recita & tu Delbora eadem.

Delbora. Credo unum esse Deum, omnipotentem, sapientem, iustum, ac bonum, conditorem totius mundi, qui coelum & terram & uniuersas creaturas, condidit ad usum hominis. Hominem uerò creauit, ad sui imaginem, aeterna sapientia & iustitia praeditum. Sed quia parentes nostri decepti à Serpente Diabolo, sua inobedientia Deum offenderunt, coniecti sunt cum tota posteritate in peccatum, mortem, & Tyrannidem Satanae, & infinitis calamitatibus huius uitae opprimuntur. Verùm Deus, admiranda misericordia motus, promisit matri nostrae semen, quod & ipsam, & totum genus humanum liberaturum sit à peccato, morte, & regno Satanae, & nos Deo recon

ciliabit, uitam æternam & iustitiam nobis reddet. Nam erit hoc semen uerus homo, ideo infiget quidem eius calcaneo serpens uenenatos dentes, & persequetur & occidet ipsum. Sed cum sit & uerus Deus, sua diuina potentia à morte resurget, regnum Satanæ deuastabit, peccatum tollet, mortem abolebit, & perpetuam liberationem nobis merebitur. Propter hoc semen Deus nobis est propitius, exaudit nos inuocantes, adest nobis in omnibus periculis, tuetur nos aduersus serpentē, & tandem immortalitate nos donabit. Propterea ipsi uicißim obedire debemus, ipsum unum uenerari & colere, celebrare ipsius gloriam, potentiam, & gratiam, ut ipse solus timeatur, inuocetur, & celebretur à nobis.

Deus. Laudo uestrū studium & pietatem, optimi pueri, ac hortor uos, ut hanc sententiā constanti pectore amplectamini & profiteamini, diligenterq; de doctrina parentes audiatis, nec opinionibus adulterinis contaminari patiamini cœlestē doctrinam. Reliqua uita parentibus uestris estote morigeri. Hi enim cultus sunt mihi gratißimi, quos si præstiteritis, polliceor me uobis opitulaturū esse in omnibus periculis, & tandem uos æterna beatitudine donaturum. Vestram etiam comprobo Eua diligentiam, in docendis & gubernandis liberis, pergite ut cœpistis, teneram ætatem optimis rebus imbuere, et regite meo uerbo ipsorum mores,

per eos mei & promißi seminis notitia innotescat, & propagetur ad posteros. Sed ubi sunt cæteri tui liberi? nata est enim tibi copiosior soboles. ubi est Cain iste rigidus?

Eua. Quia crastinus dies festus est, cœperā, Domine, pueros lauare, adfuturos patris sacrificio & concioni. Cùm autem è fenestra fortè prospicerem, & te aduenientem uiderem, uerita sum sordidos in conspectum tuum producere, ideo iussi, ut illoti sese hîc in fœno & straminibus occultarent.

Deus. An uerò existimabas, Eua, minus certos à me occultatos, quàm præsentes? an excidit tibi, quàm non occultarent uos à mea facie folia ficus & perizomata uestra, cùm in horto meam uocem audiretis? nonne opera omnis carnis coram me sunt, & non est quicquam absconditum ab oculis meis?

Eua. Veniam peto, mi Domine, huius quoque errati, iubebo omnes accersi. I, Delbora, accerse reliquos liberos.

Delbora. Fiet mater, quod iubes. Heus Cain, prodi ad Deum conditorem, prodi inquam. Spectate, ut incedit, ut stat rigidus, toruitate uultum, contumaciam animi, & ferociam præ se ferēs, hærent in crinibus stipulæ, & fœni gramina, accede propius, quid restitas, malè concilia-

te, accede, inquam, non salutas Deum, rigide?

Cain. Quasi uerò is aut me, aut salutationem meam curet, aut omnino animaduertat. quid hic rerum agitur?

Deus. Hem Cain, quid ais? recita tu quoq; parentum dictata.

Cain. Credo unum esse Deum, omnipotentē, creatorem totius mundi, quem colendum esse censeo, sacrificijs, propter quæ fœcundat nostros agros, sed an exaudiat inuocantes, an peccata remittat, ambigo. De immortalitate etiam tunc uidero, cùm ex hac uita discessero. Sentio autem bonos mores colendos esse, ut uita tranquilla sit.

Deus. Satis tu quidem contumaciter & corruptè recitasti Cain, nullā de promisso semine mētionem facis, nullam de misericordia mea, de immortalitate ambigis, quare te moneo, ut redeas in uiam, & discas integram pietatis doctrinam, ne aliquando tuæ cōtumaciæ et ignauiæ des pœnas. Cùm autem uos parentes generis humani futuri sitis, uelim uos posteritati etiam prælucere, doctrina, pietate, & uirtute. Non minus uos oppugnabit Tyrannus Serpēs, quàm parentes uestros oppugnauit. Sed his, qui meam promißionem conseruabunt, opitulabitur aduersus Serpentem Heros promissus. Et quoniam regi genus humanum uerbo Dei, & coërceri disciplina uolo, deligam ex uestro cœtu idoneos. Tu igitur Abel ad me accedito

pedito, ut manus imponens capiti tuo, te consecrem, tibi meum spiritum impertiam. Te sacerdotem esse uolo, eritq; tuum munus, doctrinam diuinitus traditam alijs proponere, & sacrificia facere, diuinitus monstrata, eaq; rectè interpretari. Nec defugies pericula, quæ propter hanc professionem subeunda erunt. Nam agones hi testabuntur, piorum ærumnas esse cultus mihi gratißimos, & significabunt, quale sit futurum sacrificiū promißi seminis. Tu quoq; accede Seth, Te regem cæteris præficio, sciasq; & tuum munus geminum esse, primum doctrinam, quam frater professus est, omnibus uiribus tueberis, & impios, qui conuitia aduersus Deum dicunt, punies ac tolles, punies & cæteros qui societatem uestram turbabunt. Vobis duobus uentura posteritas obtemperet. Et hunc rusticum Cain, qui, ut est inculto corpore, ita mores habet agrestes ac feros, seruum esse uolo, & metu legum & pœnarum coërceri, ne aut religionem contumelia afficiat, aut conturbet societatem uestram. Tibi uerò Eua curam liberorum regendorum, & erudiendorum committo, ut doctrinam, quam professi sunt, constanter retineant, ut me cognoscant, inuocent, & celebrent, & de promisso semine doceant posteros.

Eua. Dabimus uterq; operam sedulò, Domine, ne ipsis nostra diligentia defuisse uideatur, tu modò spiritum tuum ipsis imperti, ne noster labor

ſit irritus. Verùm conſumor interim, mi pater, perpetuo dolore & cruciatu, quem adfert mihi horrendi lapſus noſtri recordatio, tandem re ipſa comperi, cœleſtes minas non eſſe irritas, quæ mortem nobis irrogarunt. Aßiduam enim mortẽ mecum circumfero. Quoties aſpicio liberos, & præſertim hunc rigidum filium, & proſpicio uentura mala, toto corpore perhorreſco, & exanimor. Veniam igitur grauißimi noſtri errati iterũ peto, & mitigari calamitates oro.

Deus. Ignoſco tibi mea Eua erratum confitenti. Et quanquam humanum genus exerceri uelim multis calamitatibus, tamen certam & æternam ſalutem promitto ijs, qui promiſſo ſemini ſunt credituri. Hic heros non defuturus eſt inuocantibus ipſum, ſed ijs olim daturus eſt cœleſtem uitam, & gloriam.

Eua. Ita ſpero fore, miſericors pater, certè plurimùm hæc tua conſolatio & dulcißimus ſermo luctum meum leuauit, quo iampridem conſumpta fuiſſem, niſi me ſuſtentaſſem fiducia promißi ſeminis.

Deus. Scio quanta ſit humanæ naturæ imbecillitas, quantis in calamitatibus uerſemini. Ideo promiſi tibi ſemen, quod uos ex omnibus ærumnis & periculis eripiet, & immortalitate rurſus donabit. Tu igitur forti animo præſentes ærumnas

tolera,

tolera, & perfer, tuam ſobolem, uti iußi, de me & promiſſo ſemine, diligenter doce. Sed ne lōgus te abducam ab ædibus, redi nunc ad liberos. Et, ut nihil de mea erga uos cura & ſolicitudine dubites, hi comites, mei Angeli, erunt cuſtodes ueſtræ familiæ, qui gerant perpetuum bellum, καὶ ἄσπονδον cum ſerpente. Atq; ut hanc ſolitudinem minus moleſtè feratis, futura erit poſthac maior familiaritas Angelis cum tota familia, ut uobis tædium ſolitudinis minuat. Ego nunc iterum me à ueſtro conſpectu ſubducam in cœlum, donec promiſſum uobis ſemen miſero. Nam in hoc rurſus poſteris ueſtris conſpiciendum me exhibebo. Quia erit hoc ſemen filius meus æternus, in quo imago maieſtatis meæ mundo relucebit, & me in ipſo loquentem audituri ſunt homines.

FINIS.

FRANCOFORTI, Apud Christianum Egenolphum. An. [illegible]3. Mense [illegible]